

77727

R

1247

Ann. Linn.

~~XVI, 455~~

R

ESTICA

A 5072

Biblioth. Acad. Caes. Corp. at.

D. D.

Dr. F. E. Rambach,

Prof.

M. MARTINI BERTLEFFII
SOLENNES & CIVILES
CONCIONES.

Stylo Curtiano adornatæ,
quibus

Primo Rectoratûs

anno horis subcivis superiores Regii, quod Dorpati est, Lycei Alumnos ad Latini sermonis elegantiam, & facundiæ studium incitavit.



DORPATI

Excudebat Joh. P.

Acad. Typograph.

1695.

ILLUSTRISSIMO, EX-
CELLENTISSIMO
ac Permagnifico DOMINO,
DOMINO

JACOBO JO-
HANNI HASTFER,
S. R. M. Senatori,
Campiductori, Gubernato-
ri Livoniæ Generali atq;
Cancellario Academiæ
Dorpatensis;

Comiti in Greiffen-
burg, L. Baroni, Domino in
Wibyholm, Siöholm, Kla-
storp & Siggestat.

Est.
1757
NUS BERTLEFFIUS,
Gluarum.

13134901

DEDICATIO.

ILLUSTRISSI-
ME COMES.

Causæ, cur Tuo
nomine opusculi hujus
vestibulum augustius redde-
re sustinuerim, multæ sunt:
& earundem multitudo enu-
meranti mihi forsitan aliquas
subduxit. Disimulare ta-
men nequeo, ad hoc me præ-
cipuè inductum, quòd dum
tribus abhinc annis, in Aca-
demia Gustaviano-Carolina
examinibus variis debite pro-
batus Amplissimi Senatus A-
cademici suffragiis Philoso-
phiæ Candidatis accenserer

X2

ac

DEDICATIO.

ac paulo post Lauro honorarer; honorem aliquē, si peregrinus possem, habere Tibi cogitaverim. Verū occasione hæcenus oportuna destituta voti compos fieri non potui. Nunc autem, postquam uno abhinc anno & quod excurrit, in bonarū artium atq; literarum Seminarium, quod Dorpati est, Regium, vocatus sum; ut juventutem Scholasticam mitioribus studiis ad humanitatem, majorisq; fortunæ cultum informarē, ac numerosam Reipubl. spem sobolemq; iis præceptis imbuerem, quibus nominis æternitatem sibi compararet: ibidem-

DEDICATIO.

demq; ex idoneis testibus acciperem, Te informationibus talibus admodum delectatū iri; haud dubitavi Te tanquā Mecænatem unicum, fugientiumq; literarum Patronū honorandū colendumq; suscipere. Idq; eò studiosius feci, quo rariores esse intelligo homines Tui in Rep. loci, qui debita, quā Tu soles, æstimatione studiosorum hominum labores metiuntur. Unde me meaq; studia Tibi tanquam æquisimo laborum meorum arbitro probare allaboravi, & ignobilem hunc factum (qui pro melioribus sponsor existit) scilicet Conciones has

DEDICATIO.

Civiles, quibus intra unius
 anni decursum cupidam lite-
 rarum juventutem ad latinæ
 facundiæ studium incitavi
 duxiq; , dedicare ausus sum:
 & libelli hujus limen nomine
 Tuo ceu Dei averrunci munis-
 re gestivi: qui virtutis ac for-
 tunæ dotibus spectatissimus,
 perq; omnes honorum gra-
 dus constanti sapientiæ atq;
 integritatis famâ præ cæteris
 excellens, & Mæcenatem per-
 petuo de cunctis benemeren-
 di studio, munificentia, co-
 mitate, ac flagrantissima a-
 pud omnes gratiâ regene-
 rans, in amorem Tui venera-
 tionemq; etiam in vitos rapis.

Pru-

DEDICATIO.

Prudentia enim quæ in Te e-
 lucet, conjuncta cum justitia
 est, honores cum innocentia,
 opes cum fruendi arte: utpo-
 te, qui Rempubl. certo animo
 adjuvisti, nec dubitasti vitam
 offerre, nec capiti parcere su-
 stinuvisti. Merito igitur Illu-
 strissime Domine, orationes
 istas verbis magnorum Hero-
 um atq; Curtii expressas, Ti-
 bi inscribo, dedico. Tu verò
 ut nulla meditata litera-
 ria unquam vilipendisti: ita
 & meum hoc humillimi cul-
 tus mei erga Te monumen-
 tum benigno vultu manuve
 accipe: Mihiq; , qui duodeci-
 mum jam annum extra patri-

X4

am

DEDICATIO.

am ob strepitum armorum Aquilæ R. & Sideris Thracici jam ago, ut inter Clientes Tuos vel postremus una cum discipulis meis habear, benignissimè concede. Ego non ignobili propagandæ hominū memoriæ artificio, quam cæteris polliceor, nominis perennitatem, Tibi uni acceptam referam. Interea animus voco, ut

Serus in cœlum redeas, diuq;

Letus intersis populo Livono,
ad ingens patriæ emolumentum, magnum Tuorum gaudium, nec minus afflictorum tutamen atq; solatium. Dorpati Livonorum Anno 1695.
P.RÆ.

P.RÆFATIO.

P.RÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLUM.

Roscium illum, quem unicum Oratorum princeps dignum censebat, qui scenam intraret, quiq; artis præcellentia consecutus est, ut in quo quicq; artificio excelleret, Roscius diceretur, dixisse ferunt: quò plus sibi ætatis accederet, tardiores tibicinis modos & remissiores cantus se esse facturum. Mihi vero contra usu venire expetior, ut quo propius ad vitæ finem vergo fataq; aurem vellunt, & vasa colligere jubent, eò studiosius mihi laborandum sit, ac majoribus quasi tibiis canendum, vocisq; ac laterum contentione acrius enitendum, ut iuventutem Scholasticam sæculi ac Reipubl. spem, sollicita parentum vota, ad optimarum artium studium omnino conatu accendam: hand secus ac olim

PRAEFATIO.

olim ad olympicum stadium decertantes in flectenda meta vehementius anhelabant & confecto prope spatio gradum addebant, viresq; ac impetum intendebant. Nam postquam me undecennali peregrinatione diversas terras emensum tandem fata hac traxere, tempus omne huic uni cure impendi, ut fugientes literas humaniores quâ voce, quâ scriptis pro virium tenuitate sifterem, studiumq; Eloquentiae excitarem. Et dum discipulos quosdam reperirem, plures advolare viderem, quos probare possem, nec indole nec ingenio destitutos, omnes profundi vires animi atq; ingenii, ut eos ad latinæ præcipuè facundiae studium quantocius traherem; ne ab ingenii cultu abducerentur, aut inertia dulcedine torpescerent; sed ut mansuetioribus literis intime salutatis & Latinitatis fontibus totis labris delibatis silere tandem dediscerent, ac bene

ne

PRAEFATIO.

ne fari discerent. Idcirco ut votum eò facilius ac felicius impleretur, præter exercitia styli Curtio latini sermonis elegantia cum paucis comparando, accommodata, Actus Oratorios singulis quatuor anni partibus instar feriarum institui; ut adolescentes ex disciplina mea informandi debita parisiâ animi sensa pronuciare discerent, & verborum copiam, sermonis elegantiam, pronuciationis suavitatem, gestuumq; concinnitatem sibi comparare possent. Atq; sic cum Deo aspirante votum meum quadantenus implevi, Cl. virorum consilio ac discipulorum precibus motus haud diu cunctatus, ea quæ hætenus intra privatos parietes molitus eram, typis vulgare, oportunum exhibiturus solatiū illis, qui eadē vivâ voce pronuciaverūt, dū cernēt olim, laborum suorum scholasticorum memoriam non penitus exoleuisse. Ad

ulti-

PRÆFATIO

ultimum instituti hujus ratio etiam
hec fuit: ut absentes quoq; quibus
paginas has manu volvere contin-
get, videant, non Vacuam à nobis
coli, non intermortuas literas politi-
ores, nec studium Eloquentie exole-
scens ac feda barbarie apud nos op-
pressum esse; sed pro virium tenui-
tate si non augeri, tamen conserva-
vi. Tuum ergo Benevole Lector erit,
bene de piis laboribus ac sudoribus no-
stris sentire, & si isti placuerint, cum
Deo & die plures melioresq;
expectare.

Vale.

A. D.

A. D.
ORATIO EVCHARISTICA
MUNIFICENTIÆ
GUSTAVIANO-
CAROLINÆ.

in

ATHENAS DORPATENSES

in

Solenni Promotionis Magi-
sterialis Actu nomine
Magistrorum

A. R. S. M. DC. XCH. die 14. Martii.
habita

M. MARTINO BERTLEFFIO.

A

Hoc

HOc unum er-

go Solennitati Promotionis Magisterialis ritò absolvendæ deesse videbatur, ut quæ exactissimo Amplissimorum Academiae Professorum judicio, tot publicis privatisque congressibus probate Magistrorum virtuti ac eruditioni præmia ex insigni Clementissimi Nutritii nostri Munificentia largiter concessa, feliciter accepta, debita gratiarum actione persolverentur: Et quod in summa studiorum varietate communis singulorum ardor imperabat, ut viva beneficiorum commemoratione celeberrimæ Universitatis hujus Fundatori, ejusdemque Re-

stauratori,

stauratori, tentatæ toties, nunquam satis persolutæ gratiæ rependerentur; Id Ego hodie Majorum autoritate, atq; præsentium Magistrorum nomine publicus voluntatum interpres, ac omnium quasi animorum lingvâ, veteri affectu, & novo conamine jussus sum expeditè. Ut autem feliciter res cedat: Te DEum, Te O. M. DEum, tum felicitatis omnis, cum hujus quoq; solennitatis felicissimum principium, quò dexter mihi, nobisq; adsis omnibus, devotè adoro, gratesque decerno sempiternas! qui mirando beneficio Livoniæ huic benignior, ea hac dielargiris, quæ nunquam debita laude æstimari poterunt. Nimirum, dum sc̄ valens inter fu-

A 2

mum

mum & sanguinem, inter tor-
 mentorum mugitus & armo-
 rum strepitus Germania pro-
 scriptarum tristi exilio Musarum
 obtunditur planctu, ac lu-
 gubri ejulatu conficitur; Livo-
 norum Musæ fulgidissimo
 splendore inter undiquaq; re-
 sonantia júbila superbum de-
 cernunt triumphum ac solen-
 nissima festivitate exultant, di-
 centes: Ps. 15. v. 1. Lauda Jeru-
 salem Dominum, Lauda DEum
 tuum Sion. Quoniam confort-
 tavit sedes portarum tuarum;
 benedixit filiis tuis in te. Lau-
 da, inquam, Livonia Domi-
 num, Lauda, Athenæum, De-
 um tuum. Quoniam confort-
 tavit sedes Musarum tuarum;
 benedixit literis tuis in te. Dein-
 de, ne & ejus, vel clementiæ
 quam

quam Potentissimus Rex, Do-
 minus & Nutritius noster Cle-
 mentissimus, munificentissi-
 mus, per Magnif. Procancella-
 rium; vel ejus favoris, quem
 Magnifici, Nobilissimi, strenui,
 Pl. Reverendi, Spectabiles, Am-
 plissimi, Prudentissimi, Cla-
 rissimi, Spectatissimi, Domini,
 Fautores ac Hospites omnium
 Ordinum Honoratissimi, præ-
 sentia sua huic Actui testati
 sunt, impius æstimator audi-
 am; id studiose curabo, ne vel
 frustra, vel moleste se hic fuis-
 se quisquam conqueratur. U-
 trumq; autem se obtinuisse
 confidunt, si ex decoris Regiis,
 quæ maxime huic actui conve-
 nit, Munificentiam in hanc A-
 cademiam & hunc Philosopho-
 rum Ordinem, Gustaviano Ca-
 roli-

rolinam nunquam satis deprædicandam, accuratius mecum excutiant, ac pro eadem gratias decentes à me instar omnium habendas patienter audiant.

Atq; nunc quidem universa Gustavi M. (gloriosissimæ memoriæ) decora, non tam claris scriptoribus memorata, quam constanti seculorum præconio celebranda repeterem; sed ut cunq; magna etiam ingenia in hanc spem adolescant, parati in secula scriptores & dati, immortales animi egregiis gestis æternitatem spondeant, in hoc omnem facundiam excitent; nemo tamen vel disertissimus postentum & 48. Regum seriem, vel unum Gustavum Adolphum æquare dictis aut scriptis

scriptis poterit. Quis enim audito saltem M. Gustavi nomine, quo nunquam clarius in orbe terrarum fuit, non trepidet atque animo lingvatur? Quis præliantis aspectum non nisi timide concipiat, vel ante signa volitantem, vel inter confertissimos hostes, quocunq; incederet, stragem fugamq; inferentem? Quis illud militaris disciplinæ, atq; imperatoriæ virtutis simulacrum, in quo omnia summa etiam hostium suffragio fuerunt, cogitatione capere potest, de quo, ut de altero Magno quondam dicebatur, plura bella confecit, quam alius unquam legisset? Ille ante Imperator quam miles, molli pueritia maximi exercitus ductor, cum Moscis, cum Polo-

A 4

nis

nis, cum Danis victoriarum primordia edens, germanicisque tropæis, sarmatica lauro proludens, non acie, non prælio victus, non stipendiis, sed triumphis emeritus? Quis Martem illum (ut ita dicam) Urbicapum, arcium oppugnatorem sanguine ac pulvere conspersum, seu sola fama, seu solo aspectu armatas acies quandoq; fugantem, digne decantaverit? Quis belli hoc fulmen, quod uno fere momento orbem concussit, satis miretur? Quis triumphos omnes victoriasq; numerare aufit, quas ille plures quam annos numerare poterat? Victorias, inquam, non de imbelli hoste, non de inermibus Afris, non de tumultuando Persa, non de tumultua-

ria

ria manu, non de collectitio exercitu; sed de potentissimis ac fortissimis gentibus: sed de populo omnium bellicosissimo ac pugnacissimo, qui Romanis Aquilis impervius, toties triumphatus, nunquam victus, Romanis toties signis ac fascibus insultavit; sed de instructissimo milite: sed exercitatissimo veteranorum exercitu, tum præcipue fixis in media Hesperia tropæis, victricia arma per orbem ferente, qui longo fortunæ favore victoriis defatigatus inter decora sua numerare potuit, hocq; fati solatium tulit, quod Gustavo vincente, cecidisset.

Jam vero in semper bellatore quis pacis artes, illas ex civilibus ac militaribus mixtas men-

A5

men-

mente assequi, ne dicam oratione complecti queat? Vigorem illum, habitum haud multum a privato abhorrentē, inusitatam clementiam, mansuetudinem in victos, in omnes liberalitatem, literarū cultum plusquam Regium, dicendi gravitatem? Admiratores sane ista, non oratorem poscunt, cum non ego solus, sed nullus ritē atq; ex æquo laudibus Gustavum efferre possit; at cū non metus sit, hæc decora secuturis seculis ulla oblivio ne sepultum iri posse: adeoq; in Augustum Gloriæ Carolinæ campum descendere animus est.

Sed nec hic Gentilitios Regiæ Profapiæ campos in oratorios manipulos, nec victorias Regis nostri non modo auspiciis

ciis & consilio, verum ductu manuq; partas, colligere fas est, quibus digne celebrandis viri doctissimi facundiam atq; admirationem omnem consumptum iri metuunt: cum velut unicū illud omni oratorum ingenio crucem figat, omnemq; humanæ mentis captum superet? quod Eum in celsissimo rerum humanarum fastigio Superi posuerunt, gentisq; illius regimen ac scepra commodarunt, quæ gentes omnes bellica laude superavit: quæ seculis omnibus victricia arma circumferens, terrarum orbem, non tam victoriis & triumphis peragravit, quam juventutis examine coloniis replevit; ut rectius quam olim Romana propago mundi populus appellari

possit. Quodq; magis fidem superat. Cum atra dies omniq; ævo execranda Sveciæ adesset, (nisi caliganti arctoo novum sidus affulisset CAROLUS noster) potuisse Regem adolescentem non præsentia modo atq; impendentia mala, ac triste Sveoniæ fatum eluctari, seque ac regnum ab impotenti hostium dominatu inaudita virtute & felicitate in libertatem asserere. Certe res Svecica protrita ac pessundata foret, nisi exorata terris Numina, maturam ipsi ante annos virtutem, festinatis incrementis consilii vim accelerassent, & virile robur incipienti ætati indulgissent. Nisi tum, cum Leo vicinus spe prædæ intum escens vocatis in auxilium Aquilis

lis Romanâ, Polonâ, Brandemburgica, aliisq; signis hostilibus, fatalem quasi diem Regno Sveonico, aperto rictu minaretur; ipse Rex cum exigua militum manu, insigni autem ac pene divina animi magnitudine & constantia hostem excepisset, eumq; tribus præliis in campis scandicis fortiter vicisset.

Vix posteri credent, sub ipsa arctoo media hieme bellatum esse, per nives prope cælo immixtas, per solidata gelu tot fluviorum terga portatum exercitum, æterna glacie obductis campis copias, atq; in ea regione, in qua non pelliceis ac tectis, sed luculento camino atque hypocaustis ægre hiems submovetur, adolescentem

te Decembri ex hibernis edu-
ctas, armaq; tractata; Sed quod
incredibile est, ac supra omnē
humanæ fragilitatis fidem!
cum iumenta torrida frigore
præsepibus clauderentur, saxa
pene gelu finderentur, diu sine
tentoriis stridente Aquilone
noctes egisse, priusq; natu-
ram ipsam, cælumq; & ele-
menta quam hostes superasse.

Interea cum nulla in castris
seditio, nulla desperatio in vul-
tu cuiusquam emereret, non
tædium ullum videretur, cum
Rex ipse conto innixus concre-
tarum aquarum vellus & prui-
næ canitiem cæsarie excute-
ret, ipseq; ante signa præcedens
irato Jovi atq; rigenti cælo ob-
niteretur, nihil inaccessum, ni-
hil clausum atq; impenetrabile
his

his hominibus esse poterat, qui
se homines h. e. ex carne ac
nervis conflatos esse oblivisci
poterant, virtute plusquam
spartana nobilitate, & crucia-
tuum sensu hæc illis non tolle-
rabilia modo sed dulcia quoq;
efficiente. Hæc omnibus mor-
talitatis incommodis major to-
lerantia, & adversus quicquid
terribile natura habet, in domi-
ta fides Scanium, Hallandiam
Blekingiamq; numerofo exer-
citu circumvallatam, arcibus
munitam, fluviis disseptam,
suoq; armatam fidere, suâ pu-
gnantem hieme aperuit, miles-
que inedia, frigore, vigiliis non
fractus arctæas gentes suo fri-
gore debellavit. Et hæc inci-
pientis virtutis documenta
fuere ac victoriarum præludia
Regis

Regis nostri potentissimi! Qui bellicis laudibus innutritus & tot victoriis rebusq; supra vota fluentibus, divina animi moderatione pacis studium prætulit, juvenisq; compressis Jani claustris pacales oleas victrici lauro miscens effecit, ut fera munera militiæ per maria & terras omnes sopita quiescerent, civibus pax, Sveciæ tranquillitas, hostibus salus insperato redderetur. Hostes enim fide magis & justitia, quam ferro superare pulcherrimum victoriæ genus est. Et seipsum ac fortunam vincere, omnes adoras & triumphos excellit, veraq; & incomparabilis invicti sublimitas est.

Ergo belli gloria, quam Rex in ipso adolescentiæ flore patravit

travit Gustaviano fideri par, pace terra mariq; parta ac rebus humanis ad sui nutum compositis, suo & civium voto major evasit, per omnia fortunam hominis egressus, Ipse ut pacis fructus constaret, quietem & tranquillitatem, quam civibus donavit, sibi indixit. Et ut Svecia otii dulcedine bona fide frueretur, utq; omnium Dominus privatorum commodis inserviret, plures quam in bello labores, & majora molimina indixit. Omnia quæ belli furore percussa ac prostrata jacebant excitavit, disciplinam morum collapsam severis legibus vinxit, impietatem ac Numinis contemptum ferro & igne expiandum decrevit, pervicacem atque exitia-

exitialem superstitionem hæresinque radicibus extirpandam proscripsit. Prima autem ac præcipua post veræ religionis studium Regi nostro fuit Academiæ hujus munificentissimè restaurandæ cura, quam ex asse Gustavus Ipsi reliquisse videtur.

Equidem hanc Academiam, hoc bonarum artium Emporium Gustavus transpositis literis, Augustus, ut superos flecteret, è Campis Germaniæ martii missò Diplomate Ansupra Millesimum sexcentissimum trigesimo secundo huius loci, quasi in centro Livoniæ prudenter fundavit; Rex vero modernus semper Serenissimus à barbaris funditus everfam, ante triennium ceu Phænicem

nicem è cineribus pristino splendori restituit: Ille non modo patriæ sed & peregrinæ virtutis æstimator ex orbe literato ingeniorum delectum habens, omnis doctrinæ principes viros, & quod usquam egregium ex ultimis terrarum oris amplissimo congiario huc evocavit, ac iisdem docendi provinciam commendavit; Iste flectendis feliciter ingeniis domesticis, patrios multæ ac raræ eruditionis viros Professores designavit. Ille annonam laboris præmium Docentibus ex Ingria porrigendâ curavit, Iste ut inopia facilius submoveretur, præter salaria ampla, proxima urbi prædia Docentium usui sacravit: Ille communi Refectorio discipulorum famem

famem ac inopiam submovit;
 Iste quinquaginta stipendiis e-
 genos alit: Uterq; pari aucto-
 ritate, felicitate ac facilitate
 Immunitates ab Imperatoribus
 olim Professoribus, Doctori-
 bus atq; Philosophis concessas,
 & nostris benignius contulit
 Professoribus: Uterq; Privile-
 giis & characteribus publicis
 a Lothario Saxone J. R. intro-
 ductis, atq; peculiari authenti-
 ca à D. Friderico confirmatis,
 Inclytum hunc Docentium
 Numerum ornavit; Decrevit-
 que ut Ipsi ex discensium ordi-
 ne, spectatæ ac publicis spe-
 ciminibus probatæ eruditio-
 nis viros, (quemadmodum ve-
 teres suos *ὁπωλοδιδάκταις* h. e. ar-
 morum tractandorum docto-
 res, victricibus coronis orna-
 bant)

bant) publicis Doctorum atq;
 Magistrorum characteribus
 notarent, & lauri decore (quod
 hodie etiam DEo fortunante
 inter omnium applausus felici-
 ter factum) doctas frontes ho-
 norarent. Ut jam taceam in-
 finita alia Munificentia Caroli-
 nae specimina, in majorum atq;
 minorum gentium homines,
 præprimis Evangelicos Pan-
 nonicae gentis Exules, liberalis-
 simè edita, vel hæc unica Aca-
 demia Instauratio perpetuum
 in exhaustæ Munificentiae mo-
 numentum esse potest. O fe-
 licissimam Academiam; Quæ
 Nutritium nacta es, æque belli
 ac sapientia lauro decorum
 Principem, tuæ per temporum
 Martisque! injurias desolatio-
 nis vindicem CAROLUM XI.
 Olim

Olim Nomina credebantur esse omina. Opinionem veterum confirmat novo exemplo Carolus noster, magnitudinem nominis majori implens numine, & absoluta virtutis Carolinæ toties exercitæ orbitam designans. Carolus equidē per anagramma dicitur Cor, Salus. Verè Cor dixerim Regem nostrum qui heroico suo spiritu non tantum Sveciam totam animat, verum etiam Academia huic munificentia suæ radiis vitam dedit, & arctissimo Musas nostras tenet amoris amplexu. Nec immeritò Eum Salutem appellaverim Academia nostræ, pro qua curâ plusquam paterna continuas agit excubias ad avertendam fontium armorum tempestatem

pro-

propugnandamq; Academia salutem: ut, cum alibi terrarum Mars classicum canit, in literas ac disciplinas primus belliturno irrupit, aperto Jano Gymnasia clauduntur, Magistrorum vocibus tormentorum mugitus obstrepit, Academia ferale justitium indicitur, in hoc disciplinarum domicilio alcedonia perpetuo habentur. Neq; ulla possunt occurrere incommoda quæ non exsorbentur; adversa, quæ non superantur; abusus, qui non tolluntur; honestatis leges, quæ non jasseruntur; vitia quæ non extirpantur; virtutes, quæ non propagantur; prosperitas, quæ non ad augetur; tyrannis, quæ non enervatur; Zelus, qui non inflammetur. Quis, Deum im-

mor-

mortalem! tantam felicitatem non grata mente agnosceret? Annon tota Academia, hæc exedra, hæc pulpita, hæc auditoria æternis fixa radicibus consurgunt, & si possent, obviam procederent, & Munificentia Gustaviano-Carolina gratias dicerent? annon tota hæc literatorum turba ad evcharistiæ se damnatam fatetur? His se miscens totus hic Magistrorum cœtus, qui sua tempora lauro cinctæ videt, Tuis Magne Gustave, Fundator hujus Academiae munificentissime, Manibus gratias decernit immortalibus! Vivetis sanctissimi Manes, & dum cineres vestros sævissima quies componit, silebit quidem tenuitas nostra beneficium oppressa; hæc tamen ædes

hæc

hæc literarum Augustalia, hii parietes, Augustam vestri nominis gloriam immortalitati transcribent.

Jam ad Tuos pedes Potentissime Rex CAROLE XI. Vindex & assertor hujus Academiae beneficentissime, Nos beneficiorum magnitudine obruti referendæ gratiæ impares, eloquentissimum gratiarum interpretem ponimus silentium: dum non invenire verba animorum conatibus paria, nec sine beneficii accepti injuria, beneficium oratione licet compensare. Vive, Cresce, Vince, Heroum purissime sanguis, tot expeditionibus & gloriis perfuncte, tot triumphis decorate, tot munificentia exemplis gloriose. Qui pervigili cura

B

li cura

li cura & solitudine percussam infano hostium fluctu Academia nostram tranquillitasti: qui fortissimo patrocinio inter præsentes undiq̃ mortis ac ruinas ab interitu custodivisti. Provehat excubitor DEUS oculus immota tranquillitate sublimem Imperii tui ratem Præstet in offensam Scepri Tui securitatem, invictum præsidii cœlestis robur, CAROLUS XI. dilecte DEO, custodite DEO, confirmate à DEO! Cujus amore vallatum, custoditum stipatum, fortitudine munitum, benignitate ditatum Tenet relinquimus. Et ut semper ac ubiq̃ lætus, felix, potens tuus adsis, non ex antiquæ formæ præscripto, sed devotissimæ pietatis instinctu precamur!

Dei

Deinde Tibi quoq̃ Illustrissime HASTFER, Cancellarie hujus Academie Magnificentissime. Grates, quantæ humana mente concipi possunt, habendæ. Cujus ope & consilio hoc Athenæum restauratum. Cujus concione Augustali inauguratum. Cujus ministerio, quicquid Privilegorum ac immunitatum nomine venit, porrectum. Cujus moderamine jus creandi Magistrorum introductum. Quibus omnibus venerabundam raræ tuæ virtutis admirationem per omnium atq̃ singulorum perçtoras sparsisti, & propter quæ semper honos nomenq̃ tuum laudesq̃ manebunt. Deinceps nec Tibi grates denegandæ Reverendissime Ecclesiarū, quæ per

Bz

per

per Livoniam colliguntur Superintendens Generalis, Procancelarie Magnifice, Doctor S. S. Theol. Excellentissime Dne. JOHANNES FISCHER Qui voluntates Clementissimæ Nutricii nostri, in Solenni Academia hujus Inaugurationis Sermonelatio doctæ & prolixè exposuisti. Qui hanc Academiam, ex quo caput arrexisti consilio juvisti, hodieq; nomine Cancellarii per Excellentissimum Promotorem, Rectorem Magnificum frontes nostras lauro honorare permisiisti. Pro tot ac tantis officiis cum gratiis referendis non haud pares videamus, indefinenter precabimur; ut quantum industriam, benignitatem, honorem rebus Academiae, &

huic

huic novo Philosophorum numero impendisti, eandem gloriam, felicitatem atq; immortalitatem æternum adipiscaris.

Porro Tibi Excellentissime Promotor OLAE HERMELIN, Rector Magnifice, Professor celeberrime, qui hunc Philosophorum numerum publicè, quæ polles, auctoritate, supremis in Philosophia Honoribus ornasti, proclamasti: Vobis Viri pl. Reverendi, Prudentissimi, Præcellentissimi, Amplissimi, quorum judicio & assensu publicus character conferendus erat, gratias quas referamus, dum non habemus decentes; DEUM hominesq; testamur, adnifuros omni officio, ac potius pietate, ut tot beneficia novis benevolentia exemplis

B3

xemplis

xemplis cumulata, nec ingratis
habeamus nec irrita.

Postremo, Illustri huic Ma-
gnificorum, Nobilissimorum
Reverendorum, Clarissimo-
rum, Spectatissimorum, Do-
ctissimorum, Honoratissimorum
Panegyri, gratias quas possu-
mus habemus maximas, & stu-
diorum promptitudinem dese-
rimus. Jubeant, imperent, por-
scant, velint, non ingratis se au-
rium ac præsentiæ usuram in-
dulxisse re ipsa comperient.

Præ omnibus autem DEO Tri-
niti immortales decernimus
grates, cujus Providentia ho-
dierna solennitas ut & Jubilæi
Festivitas, inchoata, conti-
nuata & feliciter finita. Is-
faxit ut ex hac Sp. Sancti Offici-
na prodeant semper, qui Pa-

triam

triæ ornamento, Ecclesiæ sub-
sidio, literis Præsidio, suis
nunquam sint dehone-
stamento.

DIXI.

B 4

SALVE

SALVE SCHOLASTICUM,
IN QUO
DE IMPEDIMENTIS SOLIDÆ ERUDITIONIS
AD RECTORATUM
REGII, QUOD DORPATI EST, LYCEI, VOCATUS
A. O. R. M. DC. XCIV.
DIE XV. MARTII
verba fecit
M. MARTINUS BERTLEFFIUS.

PROGRAMMA

PROGRAMMATA.
LECTURIS
CULTUM, STUDIA,
SALUTEM.

NEcesitate ac utilitate Scholarum optimè perspectâ, gravis ille malitiæ castigato, virtutis & doctor fidelis, & benignus laudator, & inquietus stimulator, L. Annaeus Seneca, verè quondam dixit: *Non is solus Reipublica prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloq. censeat: Sed qui juventutem exhortatur, & in tanta bonorum præceptorum inopiâ virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamq. ruentes prensat ac retrahit, & si nihil certe meretur, in privato publicum negotium*

B5

tius

tium agit. Equidem fidelis præceptorum institutio teneri puerorum animis semina virtutis imprimit, revereri leges, timere Deum, honorare Magistratum, fugere ac odisse turpia quæque præscribit: ab impietate mentem, à turpitudine libidinem, à maledicentia os, à sceleris exercitatione membra corporis omnia deterret. Quemadmodum Sol ductor ille illustratorque siderum lucis fons est, quâ terrarum orbis univ ersus irrigatur: ita à sancta Præceptorum functione, ac primâ juventutis institutione Reipublicæ salus, & civium incolumitas promanat. Nec florere multos annos posset civitas, sed expectatione maturius defloresceret: nec vim habe-

habere leges, nec in Ecclesia religio, in curia jus, in commercio hominum fides probitasque subsisteret, si nobile hoc docendi munus tolleretur. Audiamus in hanc rem Oratorem Romanum. *Nullum, ille inquit, munus afferre Reip. majus meliusve possumus, quam si doceamus atque erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit. Hoc Meccenas advertens, Augustum Imperatorem monuisse legitur, ut Ludos, quos Patritii Equestrisque Ordinis homines frequentarent, Literarios aperiret. Hi enim ex mente magni Theologi & Philosophi B. Meisneri, sunt fundamentum Reipublicæ ac Seminaria Ecclesiæ,*

B6

nec

nec & haberi possunt idonei Doctores nisi prius in Scholis rectè instruantur, atque sic ad ministerium verbi præparentur: Hi celeberrimi **JCTI JOH. BRAUTLACTII** judicio sunt virtutum ac literarum plantaria: Hi, fatente Proto-Theologo quondam Saxonix Eminentissimo Domino **D. HOEO**, sunt Artium liberalium officina, virtutum theatra, pietatisq; sincera domicilia: Hi, ut verbo dicam, tantæ sunt dignitatis, utilitatis ac necessitatis, ut tum Civilis cum Ecclesiastica Politia iis æque carere nequeat, atque mundus suo sole. Unde **ALSTEDIUS** asserere haud dubitavit, Ludos Literarios ad communicandam experimentalem cognitionem, etiam in statu integritatis, sub alio licet, eoque

eoque perfectiori, & habitu, & modo, atque nunc, futuros fuisse. Non ergo dubium est, quin ob causas allatas in magno apud Regem nostrum Potentissimum **CAROLUM XI.** pretio Scholæ habeantur: qui non modo hanc in urbe hac bonarum artium officinam aperuit, hactenusque liberalissime aluit; sed & Viros doctrinæ ac vitæ integritate Clarissimos eidem præfecit. Qualis præprimis fuit eruditione ac probitate nulli postponendus Dominus **MICHAEL DAU** RECTOR per decennium, & quod excurrit, operosissimus, jam ad Professionem Philof Theor. in Academiam merito evocatus. Hujus vero Spartam Clementissimi **REGIS**

GIS indultu, Magnific. Academiæ Dorpatensis Pro-Cancellarius, maximè Reverendus per Livoniam Generalis Superintendens, S. S. Theol. Doctor Excellentissimus, nec non Confessorii Ecclesiastici Præses Gravissimus Dn. JOHANNES FISCHER in me transferre haud dedignatus est: atq; ejusdem traditioni solenni diem Martii 15. horam 10. matutinam A. currentis M. DCXIV. in ædib⁹ literis Sacris destinavit, ad quã condecorandam, & fusis, ad DEUM profelici laborum Scholasticorum successu, precibus, Orationem de IMPEDIMENTIS SOLIDÆ ERUDITIONIS, audiendã, omnes ac singulos Literarum Literatorumq; Fautores, eã, quã par est, humanitate, invitat

M. Martinus Bertlesium.

Decimus jam annus vertitur, ex quo patrios lares tergo intueri factorum inclementia jussus, tutiora ingenuis artibus loca quaerere debui. Equidem dum beatus ille terrarum angulus TRANSYLVANIA, in qua vitam ego hausi, mei feliciter forsan deposuere, toto orbe bellorum rabie convulso ac lacurato, tanquam olympi vertex diu ventorum ac tempestatum expers invidiã factorum eodem turbine concuteretur, & furiarum maxima classicum incineret, ruptaq; populis quies desveta corda ac desides animos ad martium decus accenderet; non vanus metus
me

me incessit, ne literæ quoq; ac
disciplinæ eadem peste corre-
ptæ fatiscerent, & excusâ pa-
ce, pacis quoq; studia tollerentur.
Adeoque una eademque
operâ Jani templum par-
di, & claudi Musarum delu-
brum cernerem; imbellis de-
missio vultu velut vallis in alte-
ra visum parte lupum sublimi
anhelitu fugere, aliasq; sedes
circumspicere haut moratus
sum. Et quanquam sæpius
spem benignioris fortunæ as-
sumserim, ratus fore, ut si quid
bonorum naturæ in me beni-
gnitas contulisset, patriæ meæ
dilectæ impenderem; spe ta-
men hætenus inani constans
belli fama inter aquilam Ro-
manam & Lunam othoman-
nicam, de corio patriæ meæ
afflictæ

afflictæ ludentis, me lactatum
perhibuit. Ergo DEUM im-
mortalem sum precatus, ut in
terris alieno sole calentibus a-
liquod literatæ militiæ tyroci-
nium facere mihi concederet.
Illudq; ipsum recondito hæte-
nus altissimi Numinis decreto
involutum, benignissimo CLE-
MENTISSIMI REGIS NO-
STRI CAROLI XI. indultu
expeditum, & legitima Magni-
fici Academiae Dorpatensis
Pro-Cancellarii ac Inspectoris
Scholæ hujus vigilantissimi vo-
catione atq; solenni Introdu-
ctione comprobatum, hodie-
nus hic dies aprico soli sistit.
Non quidem ita rerum huma-
narum imperitus sum, ut ne
sciam, quæ & quanta sint, quæ
individuo cum officio ejusmo-
di

di conjuncta contubernio, pari cum laboribus gressu procedunt. Quicquid tamen ejus est, multa ex adversa quasi fronte se insinuabant, quæ quodcumq; sinistra spes, quod metus, quod multitudo laborum incusserat, ab sterferunt, ad amplectendam, quæ secundo me expectabat, provinciam, ancipitem animum obfirmarunt. Agnosco hinc illustrissimos divinæ providentiæ radios, res vel meas considerans. Diagoræ DEOS ex rerum humanarum confinio proferentis crudam impietatem, Protagoræ de iisdem dubitantis immanes inanias damnare. Porro spes mihi atq; consilium extat, nunc demum me non contemnendum de studiis meis

is qua

is qualibuscumq; fructum percepturum, quod ab Antecessore extraneo, summo in literis viro Domino MICHAELE DAU PROFESSORE Phil. Theoret. in Academia Dorpatensi celeberrimo, à cujus felici manu summi in omni Reipublicæ parte viri prodierunt, plures adhuc prodibunt, hæditario quasi jure, idem ad me extraneum devolvatur saxum, & viæ, quam ille summa cum laude, nec minori reipublicæ commodo, trivit, mihi quoq; insistendum sit. Esto igitur: jacta est alea! adeoq; quod Deus immortalis felix esse jubet, in nomine SS. Trinitatis, tremendi & adorandi Numinis, provinciam hodie mihi traditam gratâ mente amplector,

ctor, futuris laboribus manum
solertem applicaturus: Instau-
ratori, Inspectori & Fautori-
bus Scholæ hujus debitum ho-
norem habiturus: Collegas
fraterno mecum amore jun-
cturus: discentes viâ regiâ h.
e. fideli institutione ac disci-
plina, quâ par est, ad studiorum
humaniorum virtutumq; ar-
cem, quantum in me est, du-
cturus. Sed ne aliquid, quod
laudabili hæctenus more intro-
ductum fuerat, per me in de-
svetudinem abeat, per breve
temporis spatium, de **IMPE-
DIMENTIS SOLIDÆ ERU-
DITIONIS** verba faciam. Vos
autem, Auditores Amplissimo-
rum Ordinum Honoratissimi,
clientis vestri nomine argu-
mentum ipsum obsecrat: ut,
cujus

cujus causa hunc in locum con-
fluere voluistis, benevolas ac
attentas aures eidem gratiosè
indulgere dignemini.

Si Principis Historicorum
Salustii, re & nomine Crispi, de
suo seculo querelam de tem-
pestate hodierna usurpavero,
ne latum quidem extra veri or-
bitas unquam discessisse dicar.
Conquerebatur autem ille, ho-
mines ævi sui veram vocum
vim amisisse, inducta virtuti-
bus vitiorum schémata, illa-
rumq; nomine hæc traducta:
bonos dici, qui nihil minus es-
sent: generosos perditissimis
scelerum sordibus maculatos:
Fortes incredibili temeritate
armatos. Idem profectò, si
non geminum, temporis no-
stri vitium est. Nam qui æ-
quissi

quissima iustitiæ lance ductus
 rebus alienis abstinet, suum
 cuiq; tribuit, ignavus hodie vo-
 catur, quò ad rem minus at-
 tentus sit: Simplex in rebus
 gerendis non idoneus cense-
 tur, quod fallendi artes negle-
 xerit: Politicus qui ore cuilibet
 sublinente & minus cau-
 tos nequitia Punica circum-
 scribente præditus: diligens
 conscientia curator fatui con-
 vitio verberatur: Doctus au-
 tem cõmuniter audit, in quem
 si attentiori oculo in trespexe-
 ris, in secundis eum, imò ter-
 tiis consistere deprehendes.
 Vastissima sanè Eruditionis
 amplitudo est, non unius alte-
 riusve scientiæ angustis admo-
 dum limitibus arctanda. Eru-
 ditus neququam habendus,
 qui

qui de limpidissimis Castali
 fontis aquis tanquam canis de
 Nilo biberit: nec nominis tan-
 ti meretur decus, qui literatas
 nostras literas delibavit saltim,
 non pertractavit, attigit non
 perfecit. Maxima omninò con-
 tentione opus est, ut quicquid
 in Philosophia subtile, Historia
 utile, Annalibus verum, Poësi
 ingeniosum, Oratoria magni-
 ficum est, oculo mentis non
 cursorio perspexeris: quic-
 quid Hebræa dialectus in radi-
 cum significatione multiplex,
 græcæ divitiæ in compositio-
 ne felix, latinæ munditiæ in ni-
 tore tersum habent, in nume-
 rato habeas, & quid non? tan-
 ta rerum amplitudo, multitu-
 do & difficultas, quas oblivio-
 sa complecti memoriâ, inge-
 nio

nio capere tardo, iudicio dirige obtuso, oportet, paucitatem Eruditorum sat clarè adstrueret, nisi singulis temporum periodis singuli tantum extitissent, qui singulari in republica literaria felicitate, partes omnes expleverunt, omneque viri docti punctum tulerunt, atq; huius quod terimus seculi senectam ingeniorum portentis nobilitarunt. Sed unde istæ lacrumæ? Naturam forsitan aliquis adeo effatam esse suspicabitur, ut Phænices ejusmodi ac olim ulterius eniti non possit, aut partus quasi difficillimi angustiis oppressa continuo abortum patiatur? Verùm nullatenus Naturam tam insignis damni ream dixerim, sed potius in nobis ipsis eam

eam culpam residere: nos, nos persæpe ea ipsa, quæ mater hæc benignissima promota & perfecta vult, impeditum ac imminutum ire crediderim.

Princeps itaq; *solida eruditionis Impedimentum est, detestanda* parentum ac illorum, in quorum manu res ea est, in explorandis liberorum ingeniis *segnities*, nihilq; hodie antiquius est, quam ut is de ingeniis decernat, qui ea nondum intropexit, atq; ad id aliudq; studiorum genus applicentur, nulla prorsus habita ratione lubricitatis, quâ ad id aut feruntur, aut aversum ab eo animum habent. Certum enim est ex suffragante quotidiana experientiâ, ut naturâ sciendi desiderium hominibus inditum

tum est, ita ejusdem ductu variarum scientiarum studio varia ingenia ferri. Diversitate hanc ingeniorum in comparabilis in hac re solertia Prudentissimi Lycurgi Spartanis ob oculos posuit, dum canem alterum ollæ domesticæ assuetum, alterum silvis enutritum leporis objectu à præsentissimo famelicorum iliorum fomente exciri posse ostenderet. Quanta ex hoc caractere artis suæ equisones compendia in explorandis equorum ingenis habeant, vel unicus Pelæus ille juvenis experimento suo felicissimè docuit: qui plurimè compertum habuit, quando ferocia Bucephali porphyrimate mulcenda, quando insolentia ejusdem umbra vir-

gæ intervertenda esset. Indeque tanta facilitate, quanta alii vanitate tentaverant, effecit; ut, equus hætenus fessoris impatientis ingenii sui peritum patienter ferret. Sed quam frequenter in hac prudentiæ parte ab iis, qui longè diversam in explorandis ingenis rationem ineunt, peccetur, nemo nisi rerum humanarum imperitus ignorat. Sunt enim hominum non pauci, apud quos, in magna literatæ nostræ literæ veneratione sunt, talesque innata quasi erga literas benevolentia eo impellit: ut reluctantes etiam liberos atque natura indociles, gravida spectura indociles, multisque ritibus in Scholas tanquam insustititudinam insulam protrudant;

dant; qui, si bruto stupori im-
 probitas quoque accedat, non
 alio quam rerberonum atque
 plagipatidarum nomine cen-
 sentur, beatiores longè, si in-
 sutrinis tonstrinis & pistrinis
 consenscant. Alii ad rerum
 divinarum scientiam ita natos
 ut afflictis conscientis solatio-
 desidibus excitamento esse
 sanctissimi codicis gemmas ex-
 cutere, hæresium retrimenta
 ejicere possent, à sacris ad ca-
 stra profana capillis vi intor-
 rapiunt; aut illustria ingenia
 quæ serenissimorum oculo-
 rum majestatem, Illustrium
 confessuum splendorem ferre-
 rerum publicarum arcana ri-
 mari, sophismata solvere, Le-
 gationes obire ad obscuriora
 abjiciant. Plures cum adver-

sus

fus ingenuas artes, nullo ta-
 men earundem merito, odium
 vatinianum foveant & exerce-
 ant, vel paupertatis suæ mise-
 rias in liberos derivant, vel id a-
 gunt; ut quicquid in filiis in-
 genii, aut ad capienda literarum
 mysteria facilitatis, totum in-
 tra sellulariarum artium ope-
 ras, & continua manuum ne-
 gotia deteratur, imò extingua-
 tur. Plurimos profecto Mer-
 curios, quam nunc fit, ex tali-
 bus lignis numerarem, qui-
 bus inter acuum diligentiam,
 malleorum ictus, manuum la-
 bores sudantem spiritum tra-
 hentibus, si erudiri contigisset,
 ac ad studia literarum quasi
 natos è literatorum censu ini-
 qua parentum judicia non sub-
 movissent. Ut jam fileam il-

C3

los,

los, quibus sophorum subtilitas & Philologorum ambitus fastidio est, dico: In ingenia diligenter inquirendum & illis velificandum esse, si proferre regnum suum Eruditio debet.

Et quamvis nihil æquè difficile sit, nihilq; adeò abstrusum, quàm de Ingeniis juventutis re-
ctum ferre iudicium, & quorum ea ferantur, feliciter discernere; neminem tamen ego unquam credo in virum super omnes ac in aliqua re excellentem evasisse, qui non in prima ætate, licet tenuiter, in luculentam tamen suorum spem præluserit. Is enim est naturæ genius, ut cum saltum facere nequeat, quid de quoq; pollicetur, per gradus sensim, sine sensu tamen non exhibe-

at.

at. Singula ingenia singularum rerum desiderium afficit, ac ut in virtutibus & voluptatibus, ita in scientiis delectus mirus deprehenditur; Illum subtilis Philosophi genius, hunc igneus Philologi vigor sibi mancipat: unus oestro poëtico, vehementi alter oratoris concione percellitur: adeoq; quælibet facultas & scientia suum sibi clientem arctissimâ quasi necessitudine junctum vindicat. Quibus ergo hunc in modum cum artibus liberalibus harmonia est, illis frequens in illa quam sponte sua deligunt facultate & liberrimum exercitium concedendum esse svasor ero.

Sed Naturam, ut ut sollicitam rerum nostrarum curam gerat, quia tamen mortalium

C4

non

non paucos novercante oculo
intuetur, & bona sua non libe-
raliter satis distribuit, Impedi-
mentis accenseri debere, mea
& omnium rectè sentientium
opinio est. Quotus enim quisq;
reperitur, in quem illa ingenii
ad capienda quævis facilita-
tem, iudicii ad rectè dirigenda
dexteritatem, memoriæ ad te-
naciter observanda, & dum o-
pus est, promptè depromenda
fidelitatem unâ liberalitate
prodegerit? Et hoc quidem
solidæ Eruditionis impedimen-
tum humana industria vix re-
movendum esse, nemo nisi is,
qui pro capite peponem & ce-
rebrum in calcaneo habet, non
intelligit. Fuerunt quidem se-
culis superioribus ingenia, quæ
visorum vel lectorum semel
memo-

memoria nunquam fugeret.
At cum hæc rarissimæ essent
notæ in miraculis habita ab an-
nualium fide ad seram posteri-
tatis memoriam transmissa
sunt. Charmiden quendam
Græcum tam stupenda me-
moria fuisse, ut volumina in
quacunq; bibliotheca lecta ex-
pedite recitare posset, Plinius
autor est. De elemente VI.
Episcopo Romano Majolus
perhibet, Eum quicquid semel
tantum legisset, nunquam ob-
livisci potuisse. De adolescen-
te quodam Corsico auritus
& oculatus testis elegantissi-
mus Muretus memorat, quod
triginta & sex vocabulorum
millia, eo quo ab alio prolata
ordine recitare potuerit non
sine adstantium & meo dum
hæc

hæc dico stupore. Sed quotus quisq; de tam exacta Naturæ bonitate gloriari sine vanitate audet? ad oblivionis potius exempla componimur: & parum ab est, quin cum illo, qui Ciceronis ætate vixit, Grammatico & viginti literarum quatuor obliviscamur. Multorum præterea id fatum est; ut cum Trapezuntio ingruente provecta ætate omnium rerum literarumq; scientiam perdant, quasi nunquam earum gnari fuissent. Alii cum Messala Corvino Oratore non incelebri non servorum tantum, sed proprii etiam nominis obliviscuntur. Et esto quis insigni etiam memoria præditus sit, non tamen ideo omne punctum tulisse existimandus est.

est. Plura longe sunt, quæ à foliis naturæ largitate candidatus Eruditionis expectare habet. Multorum, equidem memoriæ felicissimæ ad primum intuitum res difficiles & maximè diversæ inhæserè, sed elapso momento, nihil de tanta farragine fuit reliqui. Alii quicquid obvenit apprehendunt celerrimè ac ægerrimè dimittunt, ut ambulantes bibliothecas circumferre videntur: ast, ubi aliquid viva voce proferendum, atq; cum aliis communicandum, nihil præter scopas dissolutas, nihil prudentiæ, nihil falis, videre est: non caput non pes cohærent, confusa omnia vel luxata atq; ita à loquente proferri, ut benignus etiam auditor silentium

tium precib⁹ imò auro emeret.
 Quid causæ? Judicium deest.
 Aurea illa cynosura, ad quam
 omnia exigenda studiosè sunt:
 vinculum illud rerum diversis-
 simarum, cos scientiarum: re-
 rum quomodo capi, usurpari,
 instillari, digeri debeant cen-
 sor optimus. Atq; ab hunc ju-
 dicii defectū sæpe contingit, ut
 quod memoria tenaciter satis
 complectitur, lægvor laboran-
 tis judicii confundat, & sic ra-
 tiò solidi quidquam reperirifit.

Non tamen omnia morbi
 hujus vitia in naturæ parsimo-
 nia, sed in visceribus humanæ
 improbitatis quærenda sunt.
 Nam certum cuilibet est, na-
 sci multos, quos ingenium di-
 vinum, memoria stupenda, ju-
 dicium subactum ad solidam
 erudi-

eruditionem composuere: Si
 tamen hos industria deficiat;
 si negligentia torpor, desidie
 rubigo, Magistrorum ac mo-
 nitorum contemptus & perni-
 ciosissima *Diavolia* tam præcla-
 ras animi dotes inficiat, pro iis
 omnibus ne ciccum quidem e-
 go dederim, aut quam sibi pa-
 rere ac parare possunt erudi-
 tionem, nuce cassa emerim.
 Marcescunt enim ingenia, nisi
 indefessè excolantur: Hebescit
 judicium, si obtusa industria
 fuerit: langvescit memoria,
 nisi omni nisu & usu exercea-
 tur. Nam ubi otii dulcedo E-
 ruditionis candidatos ad ser-
 um sui amorem pertraxit, sic
 ubi vel minima subterfugien-
 di laboris occasio se offerat,
 aut captandi otii rima exigua
 admo-

admodum pateat, ambabus id manibus arripiunt, & ejuratis laboribus in segnitiei consuetudinem prolabantur. Et hic ipse morbus adeo altas in juventutis animo radices egit, ut in eo solo extirpando, licet sæpe frustra, omnem lapidem moveant, qui cum laude & conscientia pace scholis præesse volunt, & commissam fidei suæ juventutem perdere nolunt.

Caput & fons hujus vitii est Educatio: quæ destinata ingenuis artibus ingenia, à naturâ adminiculis satis instructa ita corrumpit, ut ad subeundos pro consequenda Eruditione labores, mollissimos reddat. Hæc fomes est vitiorum, hæc solidæ Eruditionis impedimen-

mentum maximum, hæc pestis bonarum artium est. Etenim mollis illa, quam Indulgentiam vocamus, Educatio, mentis, corporisq; nervos frangit, atq; id efficit; ut puer ad magna natus aptus in infimis persistat. Quomodo enim is lingvæ verecundiam discet, ex cujus ore prolata verba ne Sybariticis quidē permittenda deliciis, osculis & risu excipiuntur? qui inter lascivos ancillarum Ithyphallicam obscænitatem ingeminantium greges fescennino carmine imbuitur. Quæ ejus in discendo industria, quæ in labore pertinacia erit, qui ab ipsis serpeastris intra deliciarum meandros fluctuat, & ejus quod laboris tricas redolet nihil attingit.

git. Talibus igitur ex fordibus conflatus puer ad Eruditionem sibi parandam Magistro traditur, cui quo tempore profectus pueri curasse debebat, cum moribus profligatissimis conflandum est. Conflata Sic ex mollitiei veneno & vitiorum sordibus colluvies, nisi in Scholis domiq; profusus removeatur, alibi terrarum remoto custode latius ac licentius diffunditur, ubi liber juvenibus ad sodalitia prava aditus patet, illisq; cum trahonibus calicum, virtutis Sandapilariis & vitrorum vespillonibus consuetudinem facere licitum est. Hinc tandem profligatissimus ille majoris licentiæ odor pulcherrimam solidæ Eruditionis fragrantiam immundo malæ men-

mentis putore intervertit: & quia Educationis parentes diligentius non sategerunt, obsequentem non ad virtutis & artium cultum, sed omnia ignorantia & nequitia filium habent. Tantum *solida Eruditionis Impedimentum* est Indulgentiâ effæminari juventutem, ut diversissima potius aggredi, quam amaras studiorum radices ac dulces eorundem fructus attingere malit.

Hanc vero Parentum incuriam & insaniam ipsi Præceptores sæpe alunt: qui parentes seculi vitio ut plurimum literarum rudes spe inani lactant, decipiunt, mirosq; ludos faciunt: qui concreditam fidei suæ juventutem pretiosissimum rerum publicarum thesaurum & funda-

fundamentum seculi, non re-
giâ ad divinum Eruditionis no-
men viâ ducunt; sed ipsi impe-
riti ac omni docendi solertia
felicitate ac facilitate destituti
ignarû rerum ætatem magno
patriæ damno in inscitia bar-
rathrum detrudunt, & discipli-
na intra durissimum rigorem
positâ infringunt ingenia; aut
liberiores licentiæ habenas in-
dulgento ad delinquendum
invitant. Omne ergo momen-
tum in recta informatione fir-
tum est. Hæc si talis est, ut
am esse par est, incondita par-
rentum judicia mitigat, natu-
ræ iniquitatem corrigit, Edu-
cationis mollitiem emendat,
solidum Eruditionis solidæ suc-
cum avidis mentibus felicissi-
mè instillat: si minus exacta
est.

est, explorata ingenia pessun-
dat, naturæ acrimoniam ob-
tundit & Educationis lancem
deprimit. Verbo: insanabilis
solidæ Eruditionis pestis est.
Hic igitur amplissimum sibi ex-
ferendæ suæ dexteritatis & so-
lertiæ theatrum esse Præceptor
existimet; ut prius recte discat
& doceat, qui bēe loqui vult, nec
prius quam bene loqui didice-
rit aut docuerit, ad ornatum
& nitorem progrediatur. Ex-
empla non ad copiam, sed
ad suum hauriat: Non quantū
scire expediat, sed quantum
nescire damno sit, potius at-
tendat. Præceptum aut canon
quoties præscribitur, non di-
mittendum ingenium ante-
quam inculcatum, rectè per-
ceptum sit. Sic per inferiores

res gradus diligenter ac fideliter tritos, amplissimæ Eruditionis candidatus ad ipsam rerum ac scientiarum arcem feliciter deducetur: nisi vesanus studiorum humaniorum Scholarum atq; autorum contemptus obicem ægre removendum ponat; aut paupertas iniquo quodam fato solidæ Eruditionis progressibus sufflamen injiciat. Nam si decora ingenia non habeant, unde bibliothecas instruunt, ad aliqualem saltem non solidam eruditionem pertingent. Bibliothecis enim præcipuo Eruditionis subsidio omnia se debere exserte omnes docti testantur, quos judicii eclipsis non afflixit.

Sed ut ad portum deveni-

am

am, tempus submonet, modo id dixero: fatalem huic seculo Eruditionis & Eruditorum contemptum ultimum, si locum quis spectet; si vires: locandum inter prima solidæ Eruditionis impedimentum esse. Cum enim mortalium nemo bruto adeo judicio sit, ut nullo prorsus loco haberi velit, aut debita opera id agat, ut in contemptu ignobilē vitam trahat, quid facilius est, quam eum, qui post lata, facta multa, post superatum sudore & exantlato labore, præter contemptum nihil videt sibi fore reliqui, ejurato omni cum eruditione commercio, nanciscendæ ejus voluntatem & spem abjicere. Fit hoc ut pl. ibidem locorum, ubi saliva Mercurialis epulis

musi-

musicis videtur esse tenerior, & carior est, ubi inter sanguinis humani exundationes, bellorum strages, cædes, in humanâ & tantû feris dignam rabiem, crudeles direptiones, flammæ, ferrû mars imperat, & silentium Musis indicit: Eruditionis ergo ut laus exigua est; ita nulla perfectitudo speranda est.

Major ex supremi Numinis indultu, nostra, qui sub sole hoc arctoo degimus felicitas est. Quam benigno enim sinu Rex ac Dominus noster Clementissimus Nutritius Munificentissimus, cui DEUS annos multos addere, ejusq; Stirpem Regiam Potentissimâ ac felicissimâ ad finem usq; mundi esse velit, seminarium hoc utriusq; Reipublicæ, officinam istâ bonæ

næ mentis, & alias sat multas foveat ac munificentissimè alat, ut innumera alia insignis benevolentiaë indicia memori nostra mente reposita, ita hodiernus hic dies, quo me Ludi hujus Moderatorê per Magnif. Dn Pro-cancellarium constituit, solidè declarat. Nullatenus etiam sibi committendum existimarût A. H. ut si quæ se offerret ducendæ ad optima Eruditionis & pietatis juventuti occasio, ea sine fructu elaberetur: & cum Literatis saceris dies hic dictus esset, exitum quasi sedibus suis Curiarum splendorê ad hanc scholæ umbram gratiosissimè demiserunt, & difficillimis curis in penitioris mentis altæ sinu reconditis præsentia suâ, quam læti

læti gratiq; intuemur, capti
 nostris lucem fænerari claris
 simam benignè dignati sunt
 Antequam ergo dicendi hic
 finem ponam, monet me mor
 destiæ atq; ætatis ratio ita vos
 alloqui: ô Benignissimi Domi
 ni! Servate nobis isthunc ad
 lectum, & ab indefessis vir
 tutū vestrarum Cultoribus im
 mortalia virtutum vestra
 rum præmia graciosè vo
 bis polliceamini.

ACTUS

ACTUS J. ORATORIUS;

in quo

JANI PORTAS PESSULO
 PACIS OBSERANDAS
 Superiores Regii, quod Dor
 pati est, Lycei Alumni
 ANNO M. DC. XCIV.
 DIE II. JUN.
 representabant.

D

Anti

Antiquissimæ

atq; clarissimæ Elo-
quentiam originis esse nemini
obscurum est, qui novit Ægy-
ptios ac Poëtas ejusdem inven-
tionem Mercurio, Celtas ve-
ro Herculi tribuisse; indeq; Pla-
tonicos teste Macrobio lib. 1.
Saturn. c. XIX. statuisse τὸ ἐρ-
μητικὸν τῆς ψυχῆς facultatem *Inter-*
pretandi sensa animi à Mercurio
animæ inditam esse, anti-
quitatem referente Suida lin-
gvam tanquam instrumentum
τῆς ἐρμηνείας eidem dicasse, ut
scribit Julius Firmicus lib. III.
Astronom. c. VIII. XI. XIV.
& alibi. Et si isthæc ceu fabu-
losa nonnemo, licet possit, ne-
scire velit; nontamen à nostra
sententia

sententia abibit, si reginæ elo-
quentiæ natales mortalibus,
qui ab hâc gloria celebrantur,
cum Pausania Pittheo, cum Fa-
bio lib. III. c. 1. Sexto Empiri-
co lib. VIII. adversus Mathe-
maticos. Aristotele & Cicero-
ne Coraci & tisia siculis tribuat:
sive cum multis præ omnibus
celeberrimum Gorgiæ Leon-
tini nomen cognitum habeat,
qui auctore Philostrato & Ci-
cerone lib. 1. de Orat. primus
in theatrum progressus est &
declamandi usum primus re-
vocavit, referente Pausania in
Heliacis, qui ibidem ait, eum
ἀνασῶσα δὲ μελετῶν λόγων πρῶτον ἠμῶν
ἀμύνειν εἰς ἀπα. *primum dicendi ex-*
arterationem excitasse, quæ planè an-
tea negligebatur. Qui ut testis lo-
cuples est Isidorus Pelusiota
lib.

lib. II. Epist. 42. civili orationi
 addidit το ὑψηλὸν, καὶ τὸ τραγικὸν
sublime, ac tragicum dicendi genus.
 Inde etiam figuræ orationis e-
 legantiores ῥόρηται dictæ fuere.
 Quemadmodum itaq; decla-
 mandi usus antiquissimus, ita
 & utilissimus ac maximè ne-
 cessarius est. Hunc Orator lib.
 I. de Oratore n. 15. ait, omnium
 magistrorum præcepta super-
 rare, ex eoq; ea, quæ sunt ar-
 genda in foro tanquam in acie
 adolescentes prædiscere, atq;
 meditari. Hunc idem I. de of-
 fic. n. 60 Marco filio commen-
 dat his verbis: *nec medici, nec*
Imperatores, nec oratores, quamvis
artis præcepta præceperint, quid-
quam magna laude dignum sine
usu & exercitatione consequi pos-
sunt. Vere etiam ad vim ean-
 dem

dem significandam Naso ceci-
 nit: *Artifices unus qui facit usus e-*
rit. Quid enim præcepta nisi
 diligentis animi ad illa fre-
 quens accedat exercitatio? E-
 quidem navis rectorem peri-
 tum liber de arte regendi scri-
 ptus facere nequit, nisi tempe-
 statibus jactatus, atq; inter pro-
 cellosos undarum fluctuantium
 motus regendæ fluctuantis in-
 salo navis, arte & consilio va-
 luerit. In sita corporum natu-
 ralium vis per exercitationem
 promovetur, & mortalium à
 tenui exorsæ principio assiduo
 operationis motu longè maxi-
 mum incrementum sumunt.
 Ager si fodiatur diligenterq;
 excolatur, & ferendis frugibus
 melior, & specie ornatior red-
 ditur; neglectus verò torpe-
 scit

scit & indolem generandi infir-
tam quiescendo amittit. Ar-
bores cœlo expositæ aperto &
aquilonum flabris agitatae, ra-
mos latè diffundunt & altius
in auras assurgunt; sed umbris
opacatae perpetuis, submissæ
ad humum repunt, nec tollere
sefe altius à terra possunt. Ita
nec Oratorem indoles optima,
nec multitudo præceptorum
juvabit; nisi sæpe scripta dixe-
rit, dicta repetierit, qui aucto-
re Tullio i. de Orat. n. 260.
*Quantum detrahit ex studio, tan-
tum amittit ex gloria.* Et hoc
est, quod Numidium Quadra-
tum jam foro assignatum ex-
emplo sui monebat Plini-
us lib. VI. Epist. 29. Scilicet,
semper ac multum studeat ut
quoties opus fuerit, sive causæ
amicor

amicorum, sive destituta, sive
ad exemplum pertinentes sus-
cipiendæ, sit ad dicendum &
agendum nonnunquam glo-
riæ & famæ paratus. Moni-
tum ejus tale est: *Nec me præte-
rit, USUM & esse & haberi opti-
mum dicendi Magistrum. Video
etiam multos parvo ingenio, literis
nullis, ut bene agerent, agendo con-
sequutos. Proinde multum lege,
scribe, meditare, ut possis, quum vo-
les, dicere: dices, quum velle debe-
bis.* Rectè & commodum Plin-
ius videtur monuisse. Nam
quid illa in Philosophis disse-
rendi argumentandiq; ratio
accurata, illa disceptandarum
controversiarum solertia, illæ
in celeberrimis, viris laudabi-
lium operum functiones, à
quibus nec voluptatum illece-
bris,

bris, nec difficultatum aut periculi metu depelli unquam potuerunt, aliud sunt quam habitus, quos natura ac disciplina generavit, usus vero assiduus confirmavit. Ille omnino est, à quo liberalium artium scientiæ & ingenii humani functiones omnem perfectionem gloriâq; trahunt. Illi acceptum ferunt oratores, quod in conspicuo theatri loco & frequentissimo hominum cætu de rebus gravissimis expedite, intrepide, copiosè, ornatè verba faciunt. Illi Jcti debent, quòd accuratè clientum causas disceptant, civium lites promptè dirimunt, controversiarum varietatem intelligunt, curiæ consuetudines & judiciorum eventus cognoscunt.

scunt. Illi & quam maximè Medici debent, quod ægrè decumbentium naturâ perspectâ morborum mille species observant, mali advenientis impetum, crescentis vehementiam & abeuntis remissionem distinguunt medicamine ad valetudinarii consuetudinem & naturam corporis curandi temperatò. Tantum exercitatio atq; USUS valet, ut per eum homines bestiæq; res sæpe admiratione dignas perficiant, quæ & corporis vires & ingenii humani solertiam excedere videntur. Dedit hujus rei documentum Nugator ille apud Alexandrum M. qui solo oris habitu cicera minutissima, ex magno intervallo, in acum certissimè defigebat. Sensit

hoc in seipso Demophene-
 teste Plut. in Demost. qui in
 primo Eloquentiæ tyroci-
 nio præ metu fremitum ad-
 stantium sustinere non potu-
 it; adeoq; ob ineptam verbo-
 rum prononciationem ab au-
 ditoribus explosus capite ob-
 voluto & animo abjecto do-
 mum sese recepit: assidua ta-
 men post exercitatione tantas
 in dicendo vires acquisivit, ut
 eum Macedo finitimis omni-
 bus terribilis supra armatas
 Atheniensium copias timeret.
 Sensit etiam idipsum L. Cras-
 sus, quem Tullius 1. de Orat.
 n. 121. ita de se loquentem in-
 trodicit. *Et in vobis animadver-
 tere soleo, & in meipso sepius expe-
 rior, ut exalbescam in principiis di-
 cendi, & tota mente, atq; omnibus*
 artibus

*artibus contremiscam. Adolescens-
 tulus vero sic in initio accusationis
 exanimatus sum, ut hoc summum
 beneficium Q. Maximo debuerim,
 quod consilium demiserit, simul ac
 me fractum ac debilitatum videret.*
 Huic tamen Cicero postquam
 se exercuisset magnam elo-
 quentiæ laudem tribuit, & in
 dicendo DEUM putavit. Tan-
 tis exercitationis commodis
 persuasos optimæ spei Juvenes,
 quorum nomina prima facies
 exhibet, ea quæ hætenus pri-
 vatim ex Q. Curtio mente vol-
 vebant & calamo exarabant,
 publice quoq; vivâ voce per-
 censere nec pudebit nec pœni-
 tebit. Et quia Actui huic dies 2.
 Junii indictus est: Eundem ut
 honorificâ suâ præsentia exor-
 nare velint MECÆNATES

D 6

OM-

OMNIUM ORDINUM CO
LENDISSIMI, observanter
rogantur. Dorpati. AN-
NO M. DC. XCIV.
DIE I. JUNII.

ACTUS

ACTUS I.
ORATIO I.
quâ JACOBUS STAEL,
Nobil. Livon.

PROLOGUS

Faciem Germaniæ repræsen-
tavit, actusq; argumento ex-
posito audiendi benevolen-
tiam verba facturis con-
ciliavit.

Auditores omnium ordinum
Honoratissimi.

PAcis studia atq;
ingeniorum fructum ex-
sequi præsens cura foret, nisi
publica Germaniæ calamitas
horrentia Martis signa Scholis
admovere, ac veluti tubam
Musis obstrepere juberet. Sci-
licet, postquam urgentibus fa-
tis

D7

tis

tis Romanorum Imperium
 ad Germanos fortuna, in-
 etaq; virtus transtulisset; orbis
 quâ vi quâ metu, subactus in
 venerationem compositus,
 germanica signa adoravit.
 Et ne qua pars mundi vacaret,
 Austriaca Domus vastissimos
 terrarum tractus, ignota litora,
 & naturæ deficientis terminos
 adjecit; ut intra ejus fines ur-
 trumq; Sydus curreret. Nul-
 lum inde per tot secula aut me-
 morabile bellum, aut insignis
 victoria sine gentis hujus ar-
 mis patrata est: nulla acies
 sine Germanorum robore ste-
 tit: & sive suorum ductu, si-
 sive alienis stipendiis mererent
 in quo exercitus cornu con-
 specti sunt, ibi victoriæ fidu-
 cia ac instrumentum fuerunt;
 ut ipsi

ut ipsi olim Romani Cæsares
 exteriq; Reges ac Principes,
 damnatâ popularium fide, so-
 lis Germanis corporis custo-
 dibus animas credere consve-
 verint. Incredibile memora-
 tu est, quam celeriter ac felici-
 ter gens olim tam horrida, bel-
 li studiis & variis ingeniorum
 inventis inclaruerit, & seipsam,
 ipsum naturæ captum ac fidem
 pene superaverit: reliquasq;
 gentes, ipsum Latiale caput,
 athenasq; hoc decore spolia-
 verit. Perpendatur saltim, ne-
 scio horrendum magis, an ad-
 mirandum germanici ingenii,
 inventum nova bellimachina,
 incertum iratis ex provocatio-
 ne, an propitiis diis, excogi-
 tata, naturæ trepidantis terror,
 urbium strages, novaq; præ-
 ceptis

ceps adita fati via; terrestre fulmen, ac cæli tonantis imago: quæ intra cavum æs exiguo pulvere demersa flammæ femina, stipata ferro, ubi ad motum spiraculo ignem concepere, non diu luctata pestis erumpit, densaq; nube intermicantibus fulgetris immanes ferreos globos, ac volitantium pilarum procellam cum horribili impulsi ætheris sonitu effundit. Et quamvis dispar machinæ forma, vis tamen eadem. Nam minores tubi exiguo missili sæpe uno ictu non unam mortem ferunt. Sævius mortariorum ac bolidum ingenium. His & sexcentis aliis doli formis, adversus quas nihil tutum, aut satis clausum esse potest, virtuti suæ junctis,

gentis laudata finitimis omnibus semper fuit terribilis; usq; dum Leo ille arctous GUSTAVUS ADOLPHUS, gloriofissimæ memoriæ, Protestantium Fautor pari robore, nec minori animo ad Germaniæ fines detonaret, & occupatis Germaniæ provinciis terrorem esset Aquilæ Romanæ: quo orbis populus domitor tandem succubuit, romanaq; laus attonsa est. Cujus victorias, non ipsius modo auspiciis & consilio; verum ductu manuq; partas, nullæ unquam literæ silebunt: quarum victoriarum non spem solum, sed fiduciam semper miles ipsius in certamen detulit, usq; ad prælium illud, quod illi mortalium operum supremum fuit.

fuit. Equidem victoriæ o-
men atq; instrumentum erat
GUSTAVUS, magnæ animæ
pene ad reprehensionem usq;
prodigus, in prima semper ac-
cie princeps pugnam capes-
sens, ultimus conferto prælio
excedens, vitæq; repletus, glo-
ria, & paratus donare DEO
quod supererat. Unus hic
contemptus mortis, cujus ho-
râ nemo in pace etiam produ-
xit, nemo prævenit prælio,
GUSTAVO tot urbes natura
& opere munitissimas apperit
it, tot laureas peperit, tot ho-
stes subjecit. Quippe A. XXXI.
hujus seculi, Magdeburgo ur-
be opulentissima à Tillio fime-
stissimâ strage deletâ, sarcit ja-
cturam pugna Lipsiaca GU-
STAVUS victor; Sveco ap-
perta

perta Cermaniæ viscera, &
alæ properanti adjectæ, quibus
in austriacam perniciem advo-
labat; Rheno superato urge-
bat Tillium, eoq; ex vulnere
mortuo in Bavariam pene-
trans, corripiebat quæq; victo-
riis: donec in prælio ad Lu-
zam non victus, sed cæsus,
magno fortunæ suæ prodigio
è sangvine, cæno & pulvere
hostem vicit. Dixeris mor-
tem emendasse ictum victoriâ,
& cadaveri indulgisse laurum,
quam vivo invidit. Non ta-
men cæso capite langvesce-
bant membra copiæ Sveca-
næ, ducem qui militaturis si-
gna daturus esset, habentes
Conismarchium: qui motis in
Bohemiâ castris, cæsoq; ad Au-
gustam Melandro, Pragam Re-
gum

gum sedem occupavit, & Vienna imminens repente Germaniam tot bellorum calamitatibus fatigatam, fractam, exhaustam, Pace Monasteriensis tranquillam reddidit, & quieti toties optatae restituit. Itaque pacis tempore, dum Germani virtutis majorum suorum memores, spiritum ac vires Imperii omni modo extendere conarentur, potentissima hostium biga, Turca & Gallus formidolosum iisdem indixere bellum. Hic Argentorato Germaniae clave proditione captâ exercitum instructissimum Rheno secundo inviscera Germaniae infundendo metropoles, urbes ac arces quotquot obvias habuit, aut deditione

tione aut expugnatione suae conditioni subjecit. Ille ex oriente cum immensis agminibus in Pannoniae oras irrupens, vastando, caedendo, urendo Hungariam totam emensus Viennam obsidione gravissima cinxit, obsessam indefessè angustavit, ingentibus tormentorum globis mania, turres & aedificia ad stuporem perforavit, vel parentaturus tantae urbis excidio majoribus; vel memorabile fortitudinis ejusdem expugnatione posteris relicturus. Verum frustra. Nam advolante aquila Polona & Marte saxonico Vienna, cuius in dies arctiora omnia fiebant, praeter spem Deo auxiliante, tanta obsidione, quantum antea nunquam tulit liberata

rata est: hostis ingentē suorum
 stragem passus in fugam ver-
 sus, profligatus, prostatus, ca-
 stra opulentissima, non tam
 ad pugnam, quàm luxum im-
 structa victoribus belli præmi-
 um reliquit, & salutem in pe-
 dibus quæsit. Ac licet sæpius
 copias recolligeret fugatas; ta-
 men fortunam semper nove-
 cantem expertus laudem vic-
 toriæ nunquam oblivione se-
 pelliendam Germanis invitum
 reliquit. Quapropter mutato
 belli consilio ad petendum pa-
 cem Oratorem Viennam ex-
 pedivit: quam tamen Impera-
 tor Romanorum Inviectus da-
 re hæcenus recusavit. Atq;
 ut eò melius ista intelligantur,
 Actus iste ad imitationem Cur-
 tii auctoris elegantissimi hæc
 nus

nus à nobis tractati institutus
 est. In eo. A. O. O. H. Lega-
 tos Byzantinos, consilia Du-
 cum Cæsareanorum, atq; Im-
 peratoris sententiam in subje-
 ctis præsentibus patienter au-
 dire haud dedignemini. Il-
 losq; si quicquam ab Historiæ
 veritate alienum advertetis,
 non errasse, sed auctoris, quem
 imitantur, gratiâ protulisse
 censebitis. Dixi.

ORATIO II.

Qua

JOHANNES OLRAU, Dorpatens.
 sub persona Oratoris Turcici
 Imperatori R. pacem offert.

Non me fugit,
 quàm arduus sit labor,
 ab-

absterso Martis pulvere Jani
 portas semel patefactas pessulo
 pacis obserare. Hoc ipsum pe-
 ricula, tricæ ac difficultates in
 conditionibus ac pactis indi-
 cant. Menippus Antiochi Re-
 gis orator Legationem suam
 Romanis exponens, apud Li-
 vium ait, sese ignorare, quid
 non perplexi Legatio ista ha-
 beret, cum non nisi ad amici-
 tiam petendam jungendamque
 advenisset. Nimirum pactis
 concordia ea inprimis stabili-
 enda, quæ perpetuæ sunt salu-
 tis. Belligerantibus verò id
 laudi atque usui censetur, inge-
 niosissimè tumultuari, inimicis
 cum prævenire, turbare, infe-
 stari. Apud hos, quamdiu par-
 fortuna est, non impar parti-
 nacia esse solet: cum inclinata
 feroc

ferocior vincentis animus est,
 ægerrimeque cedit, qui feliciter
 arma movere cepit. Sed ali-
 enum Tibi, Imperator glori-
 osissime, à talibus animum esse,
 constans fama tulit, vultusque
 tuus prodit, quem talem video,
 qualis fuit Sultani mei Magni,
 cum ab eo dimitterer ad pe-
 tendam à Te pacem. Non
 quidem ita res ejus constitutæ
 sunt, ut viribus suis diffidens
 consilia pacis agitet; verum eæ
 ac tantæ ejus fortunæ adhuc
 sunt, ut & opibus & milite in-
 structissimum exercitum pos-
 sideat: illaque ipsi fæderisque so-
 ciiis animi magnitudo est, ut se
 Tibi opponere nullatenus ve-
 reatur. Magnâ quidem stra-
 ge afflictus fuit ejus exerci-
 tus, semper à tuis partibus for-
 tunâ

tunâ stante; attamen spes meliorum ab hujus ipsius naturâ ipsi confirmatur, quæ cum mutabilis sit, non perpetuus ejus favor Tibi sperandus; Sed variatis vicibus eisdem successibus Imperatori nostro largiturus est. Longè itaq; aliâ mentis Sultano Magno Tecum placet, quam paucis, siquidem audientiam mihi factam esse video, pace Tua sum expositurus.

Itaq; Imperatorē Ottomanicum, ut pacem à Te peteret, Justitia & clementia Tua expressit. Equidem nihil in rebus humanis iniquius esse censetur, quàm eos armis decernere, & cruentisq; præliis in se invicem sævire, quorum animi odii expertes arctissima quasi necessitudinē

tudine juncti videntur. Conjugem Purpurati sui Tökeliî Rakotziam, privignosq; ejus tam benigne fovisti, ut nisi quod sine illo sunt, captos se esse non sentiant. Pudicitia conjugis ac filia curam haud secus quàm parens agens Principes appellari, & speciem pristinæ fortunæ retinere pateris. Tuis ut curam sepeliendis militibus sedulam impendis, ita victorum corporibus eundem honorem haberi jubes, nobilissimosq; atq; arcta propinquitate Imperatori conjunctos patrio more sepeliri permittis. Rara profecto hæc in victoribus virtus. Unica tua laus, de qua nemo nisi Alexanderunicus Macedonum Monarcha Tecum descendere in certamen

tamen aufit. Æstimatorem
tantorum beneficiorum tantaq;
virtutis æquum habet
Sultanum Magnum. Qui non
modo belli adversus animam
tam amicum pertæsus; sed ut
eò arctius devinciariis, firmis
usq; fanciatur fædus, abjecto
Sagô has Tibi Pacis conditio-
nes sine fuce offert. Scilicet, ante
Imperio tuo finem destinabat
Danubium annem Hungaria
gariam dividentem: nunc
quicquid inter Savum & Dra-
vum est, belli præmium offert
utq; regionem eam ultra Tri-
biscum annem usq; ad alpes
Daciæ obtineas. Siquidem in
ta divisis Imperii partibus, om-
nes certaminum causas sub-
latum iri sperat; nisi adversus
immodicas cupiditates termi-

nus

nus stare nequeat; aut expedi-
tius alterutri videatur augere
regnum, quam fuit accipere.
Adhæc Rakotzium in spem tan-
tæ fortunæ, quantam Pater ami-
misit, genitum pacis & fidei
obsidem retine. Conjugem
Tökeli filiamq; redde: pro
duobus corporibus quinquaginta
millia ducatorum, pro
captiva militum turba duplo
majorem coronatorum sum-
mam cum mancipiis Christianis,
quos patriæ amor ultra fi-
nes imperii nostri trahit, pre-
catur accipias. Belli sumptus,
quos in comparatione tuorum
Porta Ottomannica majores
impendit, & damna invicem
illata, tollantur. Has nisi Pa-
cis condiciones tua Majestate
haud indignas, & amori stabi-

E 3

lien-

liendo fatis idoneas viderem, hoc esse tempus quo pacem non dare solum, sed & accipere deberes, & contentum esse eo, quod obtulit occasio. Et quamvis ut plurimum forteant prima, cum majora sperantur titulo victoriæ, certiora tamen semper sunt per pacta tradita iis, de quorum possessione armis decernendum est. Tutiora sunt fædere concessa, quam armatâ manu occupata. Ast si deniq; Pacis conditiones à me prolatae fæderi pangendo nondum sufficere videntur, plures eâdem quâ meas patientiâ ex Prolegato audias, nostroq; petito æquissimo haud mora assurgere ne dedigneris Pacem duobus in orbeterrarum Imperiis maximis restituendo. Dixi.

ORA-

ORATIO III.

habita à

JOHANNE KRÜGERO,

Dorpatensi,

Sub persona Prolegati Byzantini itidem Pacem offerentis.

Persvaderi Tibi

Imperator Anguste forsitan Pacem adductis jam multis rationum ponderibus patere, si fatis adversis bellum inivisses, & pertinax fortuna Te urfisset. Verum cum non una Tibi victoria memorabili prælio parta sit nunciata, vel ad minimum æquo Marte cum nostra acie decertaveris, plura dici attinet; quæ commotum, & Spe victoriarum futurarum animum

E4

reple-

repletum reprimere ac vincere valeant. Ergo præter conditiones acceptandæ Pacis jam auditas, meas quoq; causas sanè non leves diffundi in animum patiâre. Scio quidem me sententiam esse dicturum prima specie haud quaquam auribus tuis gratam; attamen quod Imperator noster dici iussit, ratio svadet, orbique toti salutare est, prout mitis es, exaudies.

Atq; vel Te ipso fatente pluribus hostilitatibus appeteris quam sustinendis futurus es. Plures enim sunt Tibi armatæ lites, quæ non alio iudicio, quam cuspide gladii terminandæ videntur. Idq; neutiquam sine copiis auxiliariis, quæ vel frustra sperantur, vel

cum

cum onere, discrimine, ac proditionis scelere conjunctæ sunt. Aspice insuper, quantum post te reliqueris. Hungariæ maximam partem, Croatiam, Sclavoniam, Albaniam, Daciamq; terras omnes belli calamitatibus afflictas, sumptibus exhaustas. Intue-re quantum petas: Bosnia steriles campos, Bulgaria Servicq; agros colonis suis destitutos, & Daciæ alpes perpetuo rigentes gelu, gentes asperimas, quarum obsequium, dum violentum est, rarò solet esse diuturnum, quin cum diuturna pristini domini consuetudine tenaciter iis, quibus olim paruerunt, adhærent; desiderio eorundem in secessionem, ac rebellionem proclives sunt,

dominium avitum modeste la-
turi. Magna quidem Maje-
stas tua est, quâ victos potent-
ter in obsequio continere pos-
sis; ast neq; ignarum Te esse
scio, quod firmiora sint Imper-
ria, quæ amore & benevolentia,
quàm quæ vi & coactione
obtinentur. Periculosum &
prægrave tale est imperium,
quod si non modeste geratur,
in Principem ruit eumq; ob-
ruit. Certè si Superi habitum
corporis tui aviditati animi
parem esse voluissent, orbis te
non caperet. Altera manu ori-
entem, altera occidentem
contingeres. Verum difficil-
le est continere, quod capi non
potest. Navigia quæ modum
excedunt, regi nequeunt. Ar-
bores proceritate conspicuæ

ut

ut plurimum fulmine feriun-
tur, & ventorum turbine de-
jiciuntur. Nimix opes magnæ
jacturæ locum faciunt, & faci-
lius est quædam vincere quàm
tueri. Magnæ divitiæ esurire
cogunt, & satietate omnium
paratur fames, ut quo plura
habentur, acrius, quæ non ha-
bentur, cupiantur. Deniq;
cum mutabiles, & ut dicitur,
ambulatoriæ sint hominum
voluntates, tempore Tibi u-
tendum est, ne quod hodie ob-
latum alto supercilio spernis,
alio tempore magno cum la-
bore acquirere nequeas. M.
Attilius, quia à pace alienus
superbo nimis responso Car-
thaginenses rejecerat, clade
dignus fuit. Etenim ab hoste
captus in pugna, per ludibri-

E6

um

um & tormenta necatus velut victima Paci repudiata fuit. Sic quoque Athenientes nimio bellandi studio deditos, ideoque infelices pulchre Demades notavit, nunquam ad consilia pacis nisi pullis vestibus indutos venisse. Saepius itaque, quia neglecta concordiae numina fuere, damnum publica res nunquam resarciendum accepit, & per arma ambiguo eventu coronidem vacillare suo malo didicit. Nam ut major fortiorque Princeps victor sit, tamen alienigenam Dominum pati nemo vult; & projectis conditionibus pacis, ad graviores extremosque conatus hostis adigitur, qui paulo ante amicus esse voluit. Sic etiam repente mutari animus Sultani nostri

nostri potest, ut qui jam amicitiae tuae studio ductus pacem offert, nec vultum fortunae suae alienum gerit, aliam vel pertinacia tua offensus, vel feliciore elatus successu, oblatam respuit. Adeoque si benevolentiam & amorem cum Pace à Sultano nostro Magno oblatam acceptaveris, multum inde laudis nec minus utilitatis tanquam pacis studioso Tibi enascetur. Ast si neglecta hac occasione eam spreveris, vix ac ne vix succedente tempore hanc gloriam ab eo acquires. Adeoque dum licet per occasionem optime agendo tibi consulas, & an imperio tuo finitimos hostes, an amicos esse velis, considera.

DIXI.

E7

ORA:

ORATIO IV.

habitâ ab

OTTONE REINHOLDO Bux-
HÖVDEN, *Nobil. Livon.*

Sub persona Imperatoris R.
Duces in consilium ad-
vocantis.

Fideles nostri.

Vestrismet auribus acce-
pistis Oratorum Byzantinorum
conciones Pacis vehementer
desideratæ prænuncias: qui-
bus dum pacem svadent, victo-
riam promittere videntur. Jam
in nostro arbitrio situm est, Pa-
cis condiciones aut amplecti,
aut repudiare, aut alias nostro
imperio utiliores dare, aut bel-
lo auctores belli urere. Vos au-
tem, ut curatius de hac re deli-
bere-

beretis, jubemus, non dubitan-
tes, fore ut qui hætenus non
Ducum magis, quàm Consilia-
riorum munera impigrè gessi-
stis, animi acumine multum
præ cæteris eminuistis, pietate
verò & fidelitate erga nos in
paucissimis; hoc ipso quoq;
tempore, quo ad extrema fer-
me perventum est, fideliter
Symbolam vestram confera-
tis, quod optimum factu vobis
videtur svadendo. Id tamen
monemus, ut cum res moram
non patitur, quàm celeriter
mentem vestram fusius tamen
explicetis, cum interdum
Prudentissimorū sit, non
tam capere quam ra-
pere consilia.

DIXI.

ORA-

ORATIO V.

quâ

WOLMARUS ADOLPHUS STAKELBERG, *Nobil. Lipon.*

Sub persona Campiductoris
pacem svasit.

Imperator Invi-

ctissime. Nequaquam ego, quod sentio, dicere, licet alias in Sacrarium in ductus, aude- rem, nisi clementiæ tuæ oracula jam dudum reddita fuissent: quibus Te flagrantissimis votis meis non abnuisse, certior factus sum. Et quoniam non tantum pariter tecum educatus, sed & secretorum omnium arbiter hætenus extiti, & libertatis in consulendo jus præcæteris habui, palam quod optimum

ptimum mihi videbitur, dicturus sum, idq; clementissimo animo, licet rem acu non tetigero, à Te acceptum iri confido. Jam diu mente volvere volvi, ut quibuscunq; modis argentū confici possit, illi accipiantur. Hinc cum ad Budam redimendorum captivorum causa, qui tum pecorum modo agebantur, & illustres essent, ingens auri pondus promitteretur; svasere volui, ut accepto lytro redderentur captivi. Et dum occasio hæc jam secundo oportuna offertur, nequam omittendam esse censeo. Equidem magnum geris bellum, at magna bella magno indigent numorum apparatu: ceu nervo rerum gerendarum: qui si deest, inter alias difficultates

tates in rebellionem ac defecti-
onem proclives sunt milites fa-
melici & egeni, secus quam
par est officii munia obeunt.
At præter maximam pecu-
niæ oblatæ summam, quâ
ditescere ærarium publicum
potest, liberabitur exercitus su-
pervacuis illis impedimentis,
puellis, liberis, fæminisq;, &
reliqua earundem custodia &
annona, comæatu & comi-
tatu: quæ singula tanta sunt
in exercitu onera, ut non satis
tantum difficultatum in confi-
ciendis viis creent, verum &
præliaturis obstaculo sint. Pre-
tium oblatum sanè amplissi-
mum ac verè regium est: hæc
verò inutilia pondera, quo-
rum nulla in acie opera: quæ
ab aliis, si viri essent, captivis
præsta-

præstari possent. Et si istæ
mærore suo confectæ fatis
concedant, captivis amissis
spes argenti nulla reliqua erit.

Deinde hac ipsa occasione
voto tuo positurus es, quod
non aliud esse videtur, quam
ut fines imperii R. extendas,
& opimioribus regnis amplias.
Id verò nunc à Sultano Magno
offertur. Adeoq; facili nego-
tio obtinere Scopum tuum, fru-
ctumq; tot laborum possidere
poteris. Minus alicui forsan
gloriosum videbitur, prece &
ex arbitrio alterius regna ob-
tinuisse, magisq; imperatori-
um virtute bellica eadem pa-
rasse atq; invitis extorsisse. At-
tamen gloriosiores semper eæ
sunt victoriæ, quæ æquis con-
ditionibus pacis, quam quæ
cruen-

cruenta multorum cæde obti-
 nentur. Hæ enim quantum à
 fortitudine laudis, tantum à
 crudelitate criminationis ha-
 bent; Illæ verò divinitatis quæ-
 dam æmulæ sunt, quòd dum
 potuerint nocere, noluerint;
 Sed non minus salutis alienæ,
 quàm propriæ gloriæ fuerint
 curiosæ. Ast cum Te studio-
 sior deitatis affectator alius
 non sit, hæc tibi recta aperitur
 semita, qua ad id fastigium
 conscendas. Sic voti tui com-
 pos tantum imperium tenebis,
 quantum ante te nec sperare
 quisquam ex Austriaca domo
 tot Imperatorum parente, au-
 sus fuit. Multi quidem majo-
 rum tuorum rerum gestarum
 celebritate claruerunt; sed nul-
 lus pari tecum virtute gloriæ
 Zodia-

Zodiacum percurrit. Antea
 terminus quasi fatalis Imperii
 Germanici Danubius amplitu-
 dine & altitudine clarus crede-
 batur. Tu illusâ hâc opinio-
 ne Hungariam superiorem ac
 inferiorem, Slavoniam, Da-
 ciamq; præsidio & jugo Otto-
 mannico liberasti; & Danubio
 trajecto Dacos Valachosq; in
 fidem recepisti: & tanta Im-
 perii ampliatione perennem
 nominis immortalitatem ac-
 quisivisti, supervacaneam in
 acquirendis pluribus operam
 collocaturus. Nam, ut Orato-
 res Byzantini prolixè antea in-
 nuerunt, difficile obtentu Im-
 perium tam longè diffitarum
 Provinciarum futurum est:
 adeoq; commodi lucrifq; loco
 Tibi futurum; si potius acqui-
 sitis

fitis contentus in concussari
 eorundem, quæ possides, se-
 curitatem serues, quam si ma-
 jora in dies captans, periculum
 omnibus tuis provinciis augere
 as. Nam cum plurimas gentes
 in potestate habueris, quæ
 nec seruire ulli possunt, nec im-
 perare desiderant, subactis his
 aliæ bellare incipient: bellum
 tibi ex victoria nascetur. Sed
 ne gratia tua abutar, oratio-
 nem fortasse auribus tuis mi-
 nus gratam, ast saluberrimam
 finio, rogoq; , ut quemadmo-
 dum semper fidum me habu-
 isti, ita hâc quoq; vice fidem me-
 am non aspernaris, sed admit-
 tas; ne consilio meo spreto, se-
 ra Te post pœnitentia sube-
 rat, meq; vera dixisse con-
 fitearis. DIXI.

ORA

ORATIO VI.

Archistrategi bellum sva-
 dentis, *habitâ ab*
 ERICO BARTOLDO GUMMERT,
Dorpatens.

Imperator sem-
 per Auguste. Sicuti liberam
 semper in deliberationibus lin-
 gvam esse voluisti, ne si sva-
 disse periculum esset, qui sva-
 derent defuturi sint; ita ne li-
 berè dissentientem à priori sen-
 tentiam meam à te damnatum
 iri timeo: cum Consiliarii tum
 nec melioris fidei, qui pruden-
 tius; nec ancipitis, qui stoli-
 dius svaferint, habeantur. Nam
 studio partium nequaquam
 suppressimenda esse ea, quæ salu-
 taria sunt, quamvis læsura ali-
 um

um videantur; neq; privatum odium ac amorem, sed salutem publicam in negotio publico attendendam esse, Te mihi semper consentientem habui. Proinde nec Consiliarium offensum, nec Te commotum iri, vereor, si oblatis auri studio non pacem acceptam, sed publicæ rei causa bellum continuandum svadere sustinero.

Nullius tamen ego consilium damnabo, aut ancipitem fidem suspicabor: nec fortunæ præsentis habitu tumidus solitâ Purpuratorum quorundam vanitate spem Tuam inflabo. Non enim fortunam Tuam in consilio habeo. Sed si mihi arbitrio ex meo loqui licet; non minus mihi, quam

Tibi

Tibi consilium utile honesto præponens dispicuisse confiteor. Tanta enim lucri jucunditas est, ut eodem occæcatis hominum mentes & æstimationis & famæ immemores utiitate ducantur. Sed quam hoc est rerum faciem invertere! Indignum profecto Tua Majestate consilium est. Sicuti enim honore omnium es eminentissimus; ita quoq; animo omni fortuna, ejusq; illecebris Te superiorem esse, sicq; ad celsissimum virtutis culmen aspirare decet, ut nulla indere avoceris. Quantum Imperatoris virtuti officiet studium rerum viliorum? quod quantum accrescit, tantum decrescit illa, & claritate sua privatur. Mercatorem talia lucrum

F

modo

modo captantem, gloriæ pa-
rum curiosum, victorem veri-
arma decent. Nec metus est
æratio tot belli sumptibus ex-
hausto paupertatis. Securum
de ea Te reddit fortitudo Tua
quâ magistrâ, quem admodum
hactenus tot provincias ac-
gentes Imperio tuo adiecisti
rerum quarumvis abundantia
affluentes; ita plura adhuc es-
jusdem auxilio ductuq; & o-
pes majores sperare habes. Est
illum à Sultani Magni oratori-
bus thesaurum oblatum per-
vim justorum armorum eripi-
es; & opulentia Ottomannica
exercitus ad luxuriam insignis
spoliis Leopoldini militis est
destinata; unde facile, si quis
rerum defectus contigerit, im-
pleri poterit. Animo in bello
opus

opus est, qui tibi non deest,
deinde pecuniis: Harum quoq;
præ copia modus valet. Sic
est: Non qui plura, sed qui re-
ctius expendit, potentior & o-
pulentior est. Docuerunt nos
hostes maximas gazas fruga-
litate & ordine in gazis ef-
se. Hinc stipendia facilia, quæ
per paucorum manus deriva-
ta, persoluta quia non magna,
Miles autem, quia extra neces-
sitate vivit, non auri argen-
tiq; studio tenetur; sed adhuc
hæc disciplina paupertate Ma-
gistra stetit. Quod si jam au-
rum ab hoste oblatum avidius
tuæ manus arriperent, vendi-
disse videreris victoriam. Non
vulgares Sultan⁹ merces petit:
quarum tamen copia tibi nulla
est, non mercimoniis, sed scep-
tro

tro nato; Sed fortunam tuam. ut vendas expetit. Verum fortuna veneratione colenda est, quæ facile, nisi reverenter habeatur offenditur, & graviter irascitur offensa. Mutatur vultum, prout fortem aut timidum adspexerit: favet, si generosi sumus, si consilio & prudentiâ utamur, avertitur & infesta est, si degenere stupore metue admisso viribus diffidamus. Darius ultimus Persarum Monarcha tot cladibus affectus non fuisset, si fortuna sua uti scivisset, ac felicitati suæ frenum imposuisset. Ingentes Græcorum operum diuturnitas pacis afflixit, exhausta. Persarum imperium longius ejusdem pacis otium delevit. Hinc prudens Epaminonda

nonda

nondæ ad suos vox erat: Paratur pax bello; si Principes Græciæ esse vultis, militandum vobis est: prælio opus, non palæstra. Audi hanc victore dignissimam Epaminondæ vocem, Invictissime Leopolde! Et fortuna, quâ aspirante tam prosperè res gessisti, utere: nec ejus cultum, quæ omnis potentiæ arbitra & dispensatrix existit, vilissimi metalli amoripostponas. Sic quoque indulgentissimum ejus favorem certo sperare habes. Neque solitudine intempestivâ ob molestiam ex captivarum detentione redundantem, à Duce sane fideli, sed molestè sedulo incussâ, Te ipsum turbare patiâre. Minimum hoc impedimentorum est, quod illæ

F 3

creant.

creant. Longè major aliorum copia cum castris circumvehitur, quibus cum miles carere nequit, nec sentitur quidem eorundem difficultas. Idcirco cum pluribus hisce, pauciora ista facile tolerari possunt. Si vero tanta exinde molestia suboriri videtur? alia ratione eadem sublevari exercitus poterit. Tradantur custodiendæ captivæ in arce munitissima modico præsidio; aut non remittantur pretio, sed dono dentur. Gloriosius sanè hoc Tibi futurum est: qui non lucris studio, sed clementia & misericordia etiam ab hoste laudatâ impulsus earundem curam egisti. Longè profecto laudabilior, divinæque virtuti propior clementia est, quæ non compensa-

penfationis spe provocatur, sed gratis exhibetur, talionis quidpiam expectat. Atque ista erant, quæ Tuâ majestate digna & publicæ saluti proficua muneris mei haud immemor, exponere volui, debui: nullus dubitans, quin grata tibi futura, adeoque ipso facto armorum videlicet continuatione approbatum iri.

DIXI.

ORATIO VII.
ad Legatos Turcicos
Sub persona Imperatoris Romanorum
bellum decernentis,
habitâ ab
OTTONE REINHOLDO BUX-
HÖVDEN, *Nobil. Libon.*

Ora-

ORatores Illu-
striffimi. In quo Sultra-
num vestrum articulo rerum
suarum fortuna deprehende-
rit, nec dum Ipse cernit: qui
arrogantia adeò occæcatus
est, ut nullo modo ad sanio-
rem mentem revocandus esse vide-
atur. Nam nec aliorum peri-
culo sapere voluit; nec tot cla-
dibus fortunæ fractus, eam re-
verenter habere didicit; sed
quasi manibus eam constri-
ctam teneret, nostram in con-
silio haberet, proq; arbitrio
moderari liceret, non tantum
literis superbè scriptis; Sed &
concionibus arrogantibus per
vos pacem cum muneribus of-
fert, multumq; gratiæ se nobis
præstitisse putat. Verùm va-

na

na Eundem spe hætenus lacta-
tum fuisse nunciabitis.

Nam Sultanus vester blan-
dus in ultimo jam discrimine
& fortunæ & vitæ suæ super-
vacaneam pro benevolentia
nostra captivis exhibita refert
gratiam: & amicitia, quam in-
de colligit, longè aliam agno-
scit originem. Apollinem nun-
quam timidis damis, semper
autem maximis feris insidia-
tum fuisse Poëtæ fabulantur.
Annon crudeles feræ solent im-
becillioribus parcere? Leo-
nem ferunt, nunquam in per-
niciem innocuorum animalium
concupere furorem. Quan-
to id magis decet hominem,
qui ratione duce omnium ma-
ximè providere debet; ne per-
viam & iniquitatem in firmos

F3

oppri-

opprimat. Et Heroum mentes id singulare habent quasi innatum; ut eos sibi aduersarios legant, qui ut digni sint ipsorum irâ, ita de victu gloriæ etiam quoddam præsentin cumentum. Gentes non modo cultiores, sed & barbaræ imbelliæ tati & sexui sequiori semper parcere consueverunt: quod non parum gloriæ sed & plurimū crudelitatis, secus si agerent, conjunctum viderent. Et hæc ipsa causa nos impulit, tam clementer curare captivos: cum neq̄ cum calamitosis, neq̄ cum fæminis bella gerere, aut odia aduersus eas concipere Principis atq̄ victoris sit. Longè autem alium erga Sultanum vestrum nobis esse animum, tum patebit, cum dignum

gnum virtute hostem exercitum armatum opposuerit. Vultum fortunæ & animi sui alienum gerit. Pacem quærit, petit, offert, ut magis noceat. Expectat vires, ut bellum instauret: præstolatur tempus opportunum, ut ex improviso securos invadat: præsens quies obventuræ inquietudini prænuncia jungitur. Extinguere debet, quicquid ignem occulit aut minimam scintillam continet. Neq̄ jam hostem submissum pacem petere audimus. Nam quod petit, vel debilitatem virium suarum confitetur, vel fraudem tegit. Si haud parem se nobis petitione prodit: eccum occasiones nostras æternum ac glori-

osē firmandi: si fraudem, ad
 conditiones pacis admitti neu-
 tiquam debet. Et quo minus
 id fieri possit, præter innume-
 ras causas alias perfida & sce-
 lerata Sultani mens obstat: qui
 jam non Imperatoris, sed fæ-
 difragi titulo dignus est, dum
 fædera divini humaniq; juris
 violavit: dum templa Christia-
 norum & officinas virtutum ac
 disciplinarum ruinis & ignibus
 delevit: dum insolentia aquam
 ipsam, terramq; depopulatus
 nec solitos cibos nec fontium
 haustum reliquit. Dum hosti-
 bus Imperii contra fidem da-
 tam auxilia toti Christianorum
 orbi formidabilia tulit: dum
 omnium gentium, quas adiit,
 latro factus etiam ad pecora

nostrorum subditorum avaras
 manus porrexit. Tali amico
 opus nobis non est, qui bene-
 volentiam nostram verbis ex-
 tollit, malefactis compensat.
 Hinc nullam amicitiaē constan-
 tiam apud vitiosam ipsius
 mentem sperare, nec pacem
 cum eo, nisi ejusdem inimicis
 ac scelerum complicibus pan-
 gere licet. Eadem enim levi-
 tate quâ fædera pangit infidus
 iterum solvit, quodcumque
 occasio opprimendi fædera-
 tum datur. Qui enim supe-
 ros fallit, nec homines revere-
 tur. Præterea indignæ pror-
 sus Majestate nostra sunt con-
 ditiones quas sine rubore of-
 fert: iisq; acceptis victor effi-
 cietur. Imperii terminos â
 Sultano petere nobis opus non
 est.

est, jam eos propriâ virtute paravimus ulterius cum DEO & die extensuri. Quæ Savus & Dravus includit, liberaliter de alieno donat. Terras, quas castra nostra transierunt, cedere promittit. Repellat inde castra Leopoldina, ut sciat suum esse, quod cedit. Ite nunciate Principi vestro, & quæ amisit, & quæ adhuc habet, præmia esse belli; Hoc regente, utriusq; terminos imperii, id quemq; habitaram, quod proximi prælii eventus assignaturus est.

Nec minus indignum est, mercimonis quasi institutis Imperatores de bellorum eventu agere. Non enim victoris est aliorum dona appetere; verum id potius agere,
ut

ut quodcumq; fortuna ac virtus propria ipsi concesserit, eodem plurimos ditet. Id verè imperatorium est, nullis aut paucissimis egere, omnes autè vel multos citra compensationis spem juvare. Ad ultimum, quæ de gubernandorum regnorum amplorum difficultate & periculo dicta sunt, nullam sollicitudinem incutiunt. Est modus in rebus. Fortuna in medio posita est: adeoq; quod viribus humanis obtentu difficile videtur, id favore ejus ac indultu conservatur: quem eo certius speramus, quo reverentius eam veneramus.

Hâc spe freti, aliud non Sultano offerre possumus, quam ut voluntaria cessione finem bellorum faciat; aut si id nolit, para-

paratus ad pugnam futuro
mense prodeat & fortunæ
arbitrium experiatur.

DIXI.

ORATIO VIII.

Continens laudes Leopoldi
Imperatoris R. vota pro salute
Regis nostri Potentissimi CA-
ROLI XI. Regni, Patriæ, Ur-
bis ac Lycei incremento, ut &
gratiarum actionem ad
Auditorium,

habita ab

HENRICO HAKELMAN Revaliens.

Auditores Omnium Ordi-
num Honoratissimi

Iam nulli vestrum
obscurum ex dictis esse po-
test, multis ab hinc annis in-
cubum

cubum illum terrarum orbis
Byzantii Dominum spe ambi-
tiosa totum in Europæ ferali
velut diluvio absorbendæ per-
niciem effudisse orientem, Gal-
lo ex altera parte bellum non
minori temeritate atq; auda-
cia inferente. Et quamvis post
DEum omnipotentem Leo-
poldi Triumphatoris vindici-
is atq; fortissimorum Germa-
niæ Principum auxiliis orbis
Christiani incolæ ab aris impi-
etatem fœdissimam, foci cru-
delitatem immanissimam, ur-
bibus direptionem flebilem,
conjugibus atq; liberis servitu-
tem durissimam, omnibus ac
singulis jugum Tyrannorum in-
tolerabile celeriter aversum
putarent, confecto in campis
Viennensibus minima virium
parte

parte feliciter prælio; tamen vix aliqua mali facies Germaniæ deest, adhuc Turca à fronte, Gallo à tergo, bellum acriter urgente. Hosti tam Christianissimo, quàm minus Christiano nulla ætas, nullus sexus miserabilis est. Utrique Sanguinem Christianum profunderè, capere urbes, oppida populari, vicos delere: agros exurere, volupe est. Cæcis tot hominum millibus, non incolas suos urbes, non cultores habent terræ. Magna & fortissima Germaniæ atque Hungariæ munimenta ad solum diruta, omnia tam diutino bello exhausta sunt: milites & stare parati & sequi, intenti non ad Ducis signa modo, sed etiam ad nutum, cæli inclementiâ extra so-
lum

lum patrium extingvuntur: alii ob aënonæ parsimoniâ fame exsangves vix ossibus hærent; alii lue tabifica magno numero intereunt. Adeoque (si vera dicere licet) Nihil non in armis mali. O terque quaterque felicem patriam nostram! quæ inter tot ac tantas Europæ turbas alta quiete fruitur. Acceptum hoc feramus post Deum clementissimum insignibus Potentissimi Regis nostri CAROLI XI. virtutibus. Togæ artes in eo attingere jam non refert; cui Majestas Imperatoria, cultus in Deum Piissimi, Clementia in subditos Optimi, Felicitas Inviçti, Prudentia Inclyti, Justitia Exoptatissimi, Amor Regni & virtus omnimodo excellens Patriæ Patris splen-

splendidissima Nomina conciliarunt. Ad belli artes ejus quod attinet: Nunquam quidem Augusto Ejus capiti gallea bellica oneri fuit. Humeri ejus veri Sveoniæ Atlantis potentissimorum hostium vires, & quodcunq; regni undiquaq; bello pressi onus fortiter & feliciter librarunt. Fulmen semper fuit Gloriosissimus **CAROLUS XI.** Fulmen inquam fuit, quod cum peteret, simul profligavit: Fulmē quod momento quasi uno ex indignatione fragorē, fragore terrorem, terrore cladem, clade ultimam internecionem renitentibus intulit. Illud tamen in Martio ingenio exquisita prorsus admiratione dignissimum, quod nunquam sanguinem petierit, nisi

nisi peti suum videret; arma armis semper opposuerit, nunquam intenterit; vulnera non inflixerit, priusquam ne acciperet. Eadem quippe manu, qua tinctum cruore hostili gladium, pacis quoq; caduceum aureum prætulit. Sed pertinacia obnitentium ad capulum redactus, ferrum gloriosissime strinxit: manum non linguam, tormenta non argumenta malo ampli⁹ adhibuit, docuitq; cogendos, qui impetrari optima nollent, quando in cruore eorum, qui Sveoniæ universæ perniciem minitabantur, quas concitaverant flammis, felicissime extinxit, regnumq; in pacis optatæ securitatem asseruit, indeq; ad hunc usq; temporis articulum prosperiorum

morum in Pace consiliorum officina existit, probe gnarus in omni consilio, negotio, statu, moderata durare, quæ demum pace munitiora sunt quam bello. Et nunc ubi Austria, Anglia, Gallia, Flandria, Polonia, Hungaria, Thracia, aliaq; regna pene omnia maximarum lanienarum theatra sunt, ipse, sedulus suarum rerû curator Sveoniæ toti & nostræ Patriæ dulcissimæ de pulcherrima tranquillitate augustissima virtute prospicit; nec otiosus rerum alienarum spectator in componendis Principum belligerantium animis incredibili dexteritate; tum firmandæ pacis consiliis, ac componendo orbe non diu non noctu, intermittit contentionem

tionem; sed non tantum bellorum procellas consilio disjicit, & discordes animos subita tranquillitate componit; verum cum hodie non pauci politica torvitate religionis nomine tanquam larva abutantur, & prout expedire videtur, cælum & astra in partes vocent; Ipse eximia pietate ac morum sanctitate Divinæ potentia bene & constanter famulatur & omnia post religionem ponit: utq; a se omnes Regni incolæ exemplum capiant serio mandat, secus facientes puniri jubet. Præterea ingeniorum culturæ ac optimarum artium studiis promovendis, totos munificentiaë sinus, effundit. Eadem liberalitate Academias, Gymnasia,

sia, scholasq; fundat, conservat: Doctores, Professores, Præceptores in pensis maximis alit; hâcq; novâ largitione vetat studia pulcherrimarum artium esurire, Spiritumq; ac sanguinem literis & disciplinis restituit. Cujus beneficii sicut magnitudinem intelligimus, ita eâdem obruti referendæ gratiæ nos impares testamur.

Agnosce igitur Sveonia felix, tuq; Livonia Liberatorem ac benefactorem: & procumbe ad hanc aram, ex quâ unica libertatis, Pacis, virtutum atq; scientiarum vindicias accepisti. Fatiga clementissimum in cælis Numen talibus mecum precibus. O Rex Regum ac Domine Dominantium! Tuere un-

tum

ctum Tuum CAROLUM XI. Regem ac Dominum nostrum Clementissimum totamq; Dominionem Regiam, conatibusq; ejus Regis prosperrimorum successuum gloriam adspira; ut videant hostes potenter triumphantem, cives clementer imperantem, omnes regia felicitate Gloriosissimum. Da salutarem hanc pacem nobis æternam, & olivas lauru largiores clementissimè repræsentata. Tuere universum Sveoniæ Regnum, Patriam nostram communem, & in hac urbem nostram ejusq; Rectores. Perfunde, quæsumus, rore divinæ tuæ benedictionis istam Pietatis & Artium officinam, & Docentium atq; discipulorum labores ita promove; ut tui nomi-

nis gloriae, Ecclesiae, Reipublicaeq; ornamento, Patriae emolumento, destinantur. Vobis vero Auditores omnium ordinum colendissimi, qui hodie balbutientibus magis, quam perorantibus aures absequentes praebere, & non magis aulæ vestris, quam vultibus istum officinae Literariae locum; hunc profectuum puerilium Ludum, illustrare dignati estis, Magistri nostri ac condiscipulorum nomine, gratias quas possum ago maximas, & studiorum promptitudinem defero: Jubete, poscite, non ingratis vos aurium usarum indul-
sisse reipsa experiemini.

DIXI.

Finis Actus Primi.

ACTUS

ACTUS II. ORATORIUS
SAGATA CONSILIA
OCCASIONE BELLII GER-
MANICO-GALLICI

exhibens,

Habebatur à superioribus
Phrontisterii Dorpatensis
Discipulis

Anno M. DC. XCIV.

DIE VII. Septembris

G 2

Ad

AD bellum bel-
 le gerendum non armis
 & sumptibus modo, ve-
 rum etiam consiliis opus es-
 se, sapiens recte inculcavit
vetustas. Eadem quoque omni-
 bus belli artibus peritissimis
 vox est: quod durable nihil,
 cui non subest ratio, ac omnes
 bellorum apparatus sine consi-
 liis fumum, viros funus, aucto-
 re Lipsio 5. Pol. 16. esse cre-
 dant. Unde precipuus atq;
 vetustissimus rei bellicae scrip-
 tor Fl. Vegetius l. III. c. 28. *Di-*
fficulter, inquit, vincitur, qui ver-
potest de suis & adversarii copiis ju-
dicare. Imò pluris consiliis sa-
 lubris rationem in rebus belli-
 cis justis armis aestimandam es-
 se, Paradinus in Symb. Heroi-

co, *Ardua deturbans vis animosa*
quatit, exemplo Aquilæ docu-
it, scribens: Eam cum hoste
cervo commissuram prius pul-
vere volutari, deinde cornibus
cervinis insidentem, pennis
pulverem collectum in oculos
cervi spargere, alis ora verbe-
rare, donec excoecatum ad-
versarium in rupes det præci-
pitum. His consensisse vide-
 tur Gabriel Simeon in Heroi-
 cis Symbolis: ubi C. Julius
 Cæsar fundator IV. ac ultimæ
 Monarchiæ depingitur stans
 super globum mundi, sinistra
 tenens librum, dextra gladi-
 um, cum hac inscriptione: **EX**
UTROQUE CÆSAR. Qui-
 bus lineis innuitur, armis &
 consiliis Cæsarem Imperium
 acquisivisse & acquisitum con-

servasse. Neco dissimile huic
 extat Emblema XIII. in Adria-
 ni Junii eleganti Emblemata-
 tum Libello. Ibi geminum
 Mercurii simulacrum depin-
 gitur, alterum juvena floren-
 tis; alterum maturo senio ve-
 nerandi: Quo veteres, ipso in-
 terprete, innuere voluerunt:
 eum, qui rectè regnum & bel-
 lum sit administraturus, fami-
 liarem sibi cum fortitudine
 prudentiam habere. Interpre-
 tationi huic suppetias fert in-
 scriptio adjecta simulacro:
**PRUDENTIA CUM ROBO-
 RE CONJUNCTA;** ut &
 carmen sumptum, ni fallor, ex
 sententia Isocratis ad Demoni-
 cum: **ROBUR CUM PRU-
 DENTIA CONJUNCTUM
 PRODEST.**

Viri;

*Viribus Cyllenius integris stat,
 Junctus cum senio gravi.
 Robur invictum est, sapientia se
 Firmes, quâ sine, concidet.*

Huc haud dubie Nomotheta
 ille Romanorum Justinianus
 Imperator respexit, Institutio-
 nes Juris in hunc modum or-
 sus: *Imperatoriam Majestatem
 non solum armis decoratam, sed &
 Legibus armatam esse oportet.* Huc
 respexit Servius Tullius VI.
 Rex R. referente Phil. Camer.
 Oper. Subcisiv. Cent. I. c. 2. qui
 latâ Lege non solum armis sed
 & consiliis consistere rem bel-
 licam statuit. Huc respexit
 Imperator ille Græcorum Ma-
 gnus, qui versum ex Homero
 in narthecio asservato, quo A-
 gamemnon Rex fortitudine &
 ingenii præstans describitur,

G 4

10

in deliciis ac in ore semper habuit, dicens: *Λιφόνεον βασιλεὺς ἀγαθὸς κρατὸς ἦ ἀρχικῆς.*

Atque ex adductis his nemo ignorare potest, quanti veteres orbis moderatores fecerint consilia: qui credulitatem atque superstitionem vulgi egregie foventes, familiarem sibi usum communicationemque consiliorum cum Diis simulabant teste Frederico de Marselaer lib. II. dissert. XXIX. Nimirum, ut nihil insano ac præcipiti motu vel affectu fecisse viderentur; ita major suis decretis constaret auctoritas & veneratio. Hoc ingenio Numa, populus R. ut sacris afficeretur, Ægeriæ Deæ consilio ea institui vulgavit. Zaleucus prætextu Minervæ auctori-

toritate Locrensibus; Solon monitu svadentis Apollinis Atheniensibus Leges dedit. Principes itaque ac Milites, confirmatis hunc in modum animis prælium alacriter capessere haud dubitarunt, rati fieri non posse, ut salubriter bellum geratur spreto sapientum consilio. Legimus in Lampridio, Septimum Severum Imperatorem R. nunquam rem magni momenti definivisse, nisi consultis primum juris ac æqui arbitris. Theodosius & Valentinianus religiosissimi Imperatores rescripsere: *Cognoscimus quod vestro consilio P. C. fuerit ordinatum, ad beatitudinem Imperii nostri, vestramque gloriam redundare.* At non a veteribus solum consiliiis honos habitus

est, verum nostra quoque ætate ad clavum reipubl. sedentes eadem æstimatione arma & consilia metiuntur; quoniam ipsa cœlestis Sapiencia prædixit, ac veluti pollicita est, quod *futura sit salus, ubi multa consilia.* Spe promissionis hujus freti Principes nostri, concilio advocato cum pacis tum belli tempore in commune consulunt. Et qui consultantium naturæ, rationis, & in his Dei *reveritores* existunt, eorum sententis maximè eventus respondet. Qui verò his neglectis præcipiti motu vel affectu sententias ferunt, licet potentia opibusque ceu propugnaculis muniti omnem vim & casum facile videantur spreturi ac superaturi; eorum tamen con-

consulta Deus, in cujus manibus cor Regum est, nonnunquam & sæpe retroagit, consilia nube obvolvitur, tempestate evertit. Ne igitur damnum respublica accipiat temporibus sagatis, cum universa discriminis facies jam pene in oculis est, convocato in Regiam aut Prætorium consilio in commune consulitur. Alii accepto gentis suæ majorumque spiritu, prælium ineundum; alii adversa partium fortunam territi signum receptui dandum; alii viribus suis diffisi stratagemata; alii metu discriminis Pacem favent; alii mitiores fortunæ vires expectantes induciarum consilia agitant. Quod tandem factu optimum videtur futurum, quodque præsentis fortuna

næ facies admittit, Imperator copiarum Duces non minus ac milites haud morâ exsequi jubet: singulorum tabernacula circuit, hortatur, monetq; nunc singulos, nunc universos, nec antè desistit, quàm satis constat imperata facturos. Horum omnium imaginem superiores LYCEI nostri Discipuli ACTU ORATORIO die VII. Septemb. Deo favente habendo, animis præsentium repræsentabunt, singuli singulas laturi sententias.

Quapropter ut Literarum ac Literatorum fautores ipsiq; Literati omnium Ordinum Honoratissimi, Exercitii hujus celebritatem spectatissimâ præsentia suâ condecorare, & qui sententiarum Judices, atq; testes

testes omni exceptione majores speciminum juvenilium adesse velint, humaniter ac decenter rogantur. Grande profecto hoc ipsum cupidæ Literarum humaniorum juventuti operæ ac laboris qualiscunq; pretium simul & incitamentum erit, dum paulatim redire honorem his studiis, quibus solis, inter tot artes ac disciplinas humanitatis titulus adhæsit: Simulq; auctam de die nobilem frequentiam, non tam corpore, quam animo subfelia implentium viderint. Eâ propter omni pertinaciter demerendi occasione utentur, omnesq; quotquot attentas ipsis opposuerint auriculas, non solum debitis laudibus in cælum ferent, verum etiam in

perpetuum filialis amoris ac
honoris cultu prosequentur.

DORPATI ANNO

M. DC. XCIV. DIE VI.

SEPTEMBRIS.

ORATIO I.

quâ

Prologus HENRICUS Brönisen
Nobilis Livonus. exposito A-
ctûs Argumento sententias su-
as dicturis Auditorii be-
nevolam attentionem
experit.

Auditores o-
mnium ordinum Hono-
ratissimi. Samium illum La-
tinorum Philosophorum pri-
mipilum Pythagoram discipu-
lis sapientiæ institutis initian-
dis,

dis, qui centenarium nume-
rum sexies si non excedebant,
plenè tamen absoluebant,
quinquenne silentium magnâ
quâ erat apud omnes autori-
tate imposuisse non semel le-
gimus. Causa hujus instituti
haud dubie alia non suberat,
quàm ut Philosophus mode-
stix studiosissimus, atque auri-
um attentarum usuram lin-
guosæ audaciæ anteferens, e-
lingues etiam formare non du-
bitaret, in quibus sapientis E-
loquentiæ characterem olim
fulgere sperabat, optabat. Ve-
rùm quam sædo sese elapso ju-
rata taciturnitatis tempore
conturparint crimine, sense-
runt multi, plures, qui loqui
viderentur, demùm exhorru-
erunt, conticuerunt. Neigi-
tur

tur par semper damnum res-
publica literaria metuere ha-
beret, proscrip̄tā silentii Lege,
clarissimi Literarū Antisti-
tes disc̄entibus linguam resti-
tuere liberam, latā lege ut au-
dita cuilibet interrogare, in-
tellecta recitare, omnibus non
modo fas esset, sed etiam lau-
di duceretur. Et ego damna-
to Pythagoricæ Scholæ silen-
tiō, factaq; mihi dicendi copiā,
die hoc & horā ausp̄icatissima
pulpitum hoc primus conscen-
di, in spectatissima doctorum
atq; magnorum virorū, juven-
tutisq; Scholasticæ corona, si
non fermocinandi, balbutiendi
tamen periculū facturū. Atq;
dum omnium oculos in me
conversos video, de animo-
rum vestrorum præsentia nul-
lus

lus dubitans, perḡ am pace ve-
stra Argumentum actūs ha-
bendi breviter exponere, atq;
gregalibus meis, eandem quā
mihi largiri videmini, bene-
volentiam conciliare.

Ut olim A.H. Africa, ita ho-
die Germania semper aliquid
affert novi. Nimirum, pa-
scenda est rumorū avida ple-
becula, quæ nihil ignorans,
cunctaq; transmittens, ubiq;
Germaniam in ore habet. Ni-
hil tamen hic de antiquis nã-
niis, neq; ea nunciantur, quæ
arrectis auribus & hiantī ore
excipiat, moxq; in majus au-
cta, inter oscitantes rumori-
bus differat, nec otium ferens
nec laborem. Scilicet, utrum
major ætate fuerit Homerus
an Hesiodus, Telemachus an
Ulys-

Ulyssis canis antiquior fuerit, quotq; habuerit, & quo nomine iidem vocati? quæ mater Hecubæ? quid Sirenes cantare solitæ fuerint, & quæcunq; credentium otio alia finguntur ac linguâ vulgantur. Non inquam talia Vos audituri estis, quæ & vos & me non modo non pudet ignorare; verum, ut si ea sciremus, cum Themistocle artem obliviscendi meritò optaremus: Sed cruentas audietis contentiones, urbium direptiones, mali fati exempla cæsos exercitus, totis viribus concussi orbis imaginem: & quod idoneis testibus relatum accepimus, duarum acierum Germanicæ & Gallicæ, quæ vix extra globi iactum sunt, Imperatores clas-

sica

sica Martia in subjectis presentibus pulsantes, suos utrosq; ad prælium fulmine oratorio, necessitate, fame, siti, auro, donis, beneficiis, exemplis, periculo atq; minis hortantes: ad ultimum Illustrissimum Potentissimi Regis nostri CAROLI XI. Legatum in Aula Cæsareana morantem, Jani Portas pessulo Pacis aut Induciarum decennialium obserantem. Ne tamen inurbane vobiscum egisse videamur A. O. O. H. ita turbas istas in quiete movebimus, ut universi ac singuli in turbis quiete fruamini. Cruenta hic certamina audituri estis nullo tamen fluente cruore, studioq; & partes nihil præter verba ausuras: mite ingeniorum certamen,

tamen, irasq; ex quibus nihil
supererit præter concordem
discordiam, & pacato mufa-
rum regno ex amico diffidio
duraturum seculis literarum
ac literatorum fœdus. Itaq;
ut animis benevolis, qui cor-
pore præsentés adestis, simul
ad sitis, & sepositis non abjectis
officiorum publicorum pro re-
publica curis, attentas per bre-
ve tempus aures verba factu-
ris largiri velitis, eâ quâ par
est humanitate oro

& exopto.

DIXI.

ORATIO II.

Stationarii custodia elapsi
adventum exercitûs Gallici
Imperatori R. nunciantis.

habita

habita à

CAROLO GUSTAVO BROOCMAN

Lays. Livon.

CLementissi-
me Domine. Veritatem
semper apud malefanos, apud
Te nunquam odium parere
expertus, illa nuncio, quæ his-
ce oculis meis vidi, hisce auri-
bus excepi. Scilicet, unus e-
go excubiarum stationaria-
rum specularius excubitor, re-
liquis ab hostium turmis cru-
deliter occisis supersum, qui re-
dux visa & audita referrem.
Observavi hosticas Gallorum
machinationes, aciem militi-
bus, com meatu, & tormentis
instructissimam nostræ prox-
imam conspexi. Custodiâ, quâ
asser-

asservabar, circa vigiliam noctis præteritæ secundam elapsus, in editum montem, ut omnia eò diligentius adverterem, evasi: media nocte cæli fulgor æstivo ardenti similis ignis præbuit speciem; fremitus hominum, hinnitus equorum, armorumque stridor exaudiebatur, quantum qui auribus non exceperat, animo concipere non posset: ast ubi nitidior lux noctis caliginem discussit, universa futuri discriminis facies in oculis erat. Ipse Rex Rheno trajecto oppontum subliciorum cum exercitu terra amneque secundo accelerante, castra tali loco metatus est, qui fertilis terra, copiarerum & omni comœtatu abundans est. Castra ibidem

dem locata, cum nec quicquam ex præsentibus tutius visum, jacto vallo instar urbis muniri, vigiliasque intentiore cura servari iussit, ne superveniens inopinato hostile agmen incautos aggrediatur & perfundet. Vigilias is ipse cum circitoribus haud impigrè circumequitat, tesseramque frequenter reposcit. Milites ac duces in armis die noctisque stantes, signum tubæ ad pugnam dari avidè expectant. Tuum ergo erit Imperator Invictissime, adhibito concilio, vel remotis arbitris decernere, quid factu optimum, Imperio utile ac honestum Tibi videbitur.

DIXI.

ORATIO

ORATIO III.

quâ

Imperator R. Ducum consilia expetit, habita ab
HENRICO HINTZE Rigga-Livono.

Fideles nostri!

Vestrismet auribus, quod fama idoneo teste non transfugâ, indigena non extraneò vulgavit, nunc accepistis: Hostem Imperii nostri juratum in armis esse, & castra Rhenum transgressa, quantum vix unquam Germania vidit, tali loco metatum esse, qui commodus est frumentationi & pabulationi, aquationi & lignationi, prælio & receptui: Castra in immensa planicie locata alto vallo

to vallo muniri jussisse, vigili-
asq; intentiore cura servari, ut
circumveniri nullo modo
possit, nec impetu peti. Itaq;
consilii ratione opus est, quam
qui optimam tulerit, primus
omnium virtutis causa insigni
munere donabitur, & peritis-
simus inter duces artium bel-
li habebitur, Nobisq; sem-
per secundus.

DIXI.

ORATIO IV.

habita à

FRANCISCO JOHANNE SINGELMAN
Dorpatens.

Sub persona Campiductoris
dolum Imperatori svadentis.

Imperator Augu-
ste! Illego, qui hæcenus
H dato

dato virtuti loco, corpus hoc ipsum pro Te & charissimis pignoribus intrepidus semper & ubiq;, quoties occasio data est, opposui, & vitæ meæ pene ad reprehensionem prodigus fui, atq; concilio frequenti adhibitus dato deliberandi spacio, haud exiguas cunctando restitui res; nunc quoq;, quod omnibus factu optimum videtur forsitan syaderem, si res moram pateretur. Verum cū ad extrema ferme perventum sit præsentè discrimine, meum erit non tam capere, quàm rapere consiliū; Tuum verò haud gravatè admittere.

Atq; si dicam, quod sentio, furto hic non prælio opus esse censeo. Major ut Politicorum ita bellatorum numerus dolis

in bello plurimum tribuit. Laudabilius enim esse videtur, astu, & calliditate, quam vi aperta hostem potentem superare. Atq; idem belli artium periti duces non aperto Marte prælium, in quo commune periculum versatur, sed ex occulto semper attentant, ut integer suis, quantum possunt, viribus, hostes interimant, vel terreant. Imo quacunq; ratione hosticis occurrere conatus permissum est: nihilq; ad justitiam interest, cum justum bellum suscipitur, sive aperta pugna, sive insidiis hostem vincere. Quantum olim gentes multæ dolis tribuerint, Lacedæmonii memoriæ proditum posteritati reliquere: qui cum stratagemate hostem superas-

sent, bovem Marti bellorum Numini imolarunt; cum viaperta, gallum tantum. Hujus rei Plutarchus in Institutis Laconicis rationem notavit: quod hoc modo voluerint asseverare duces, ut non modo bellicosi essent, sed etiam caliditate ad stratagemata polleant. Similiter Josua Israëlitici exercitus Dux fortissimus mandante justissimo Numine civibus Æmicitis insidias paravit. David multarum victoriarum prælio aperto partarum famam celebris, qui totam pene vitam in armis egit, à tergo Philistinorum aggressus est. Abramus intempestiva nocte in Sodomitico bello Chodorlaomorem, ejusque socios Reges instinctu Divino impugnavit, & parva manu

manu ingentia agmina fudit, debellavit, omnemque prædam Sodomitis ablatam & opeshostium domo advectas belli præmii reportavit. Si itaque in tot gentibus morum integritate clarissimis nemini turpitudini fuit hostes quocumque modo frangere ac debellare; quanto magis dubito, fore quentquam, Imperator Invictissime, qui hoc bellandi genus leve & non satis dignum Tuam Majestatem judicet, etsi id quidem moribus quorundam olim nefas habitum fuerit. Meo quidem judicio apud nos, nec infame, nec humile, nec ab honestate remotum ponitur, pari dolo finire bellum, quod Gallus in tot annos protraxit: qui impia bella suscepit, qui

cum habeat arma, sanctum tamen caput tuum & aliorum Principum licitatus fuit: qui tantorum exercituum Rex violato jure divino & gentium, percussores multo ære in Tuos fœderis socios emere voluit: qui gentes, quæ littora Rheni tenent, Principatus, Episcopatusq; Germaniæ ampliffimos ac omnium rerum abundantia affluentes crebra clade vastavit; & nunc tertio cum magno exercitu Rhenū transgressus: urbibus præcipuis in fidem acceptis, oppidis, vicis, agrisq; exustis castra optimo præliandi atq; commorandi loco posuit, eaq; instar arcis fortissimo, quod altitudine mœnia exæquat, vallo undiquaq; munivit; unde turmas suas desperata

ratâ victoriâ neutiquam in aciem, ad populandos tamen incolarum agros quotidie educet, & spem obtinendi, quicquid post tergum reliquit, nunquam amittet. Dirutis Germaniæ urbibus & direptis civium opibus avaras manus etiam ad pecora porriget, nihil post se relicturus, quò belli calamitatibus exhausti inopiam atq; famem depellere possint. Ideoq; necessitate durissimo tesolo publicæ salutis causa omnia experiri cogente, nullus dubito, Te consilium meum quaecumq; haud morâ exsequi jussurum. Ego interea præstosum, non tam ad consilium dandum, quam accipiendum imperium Tuum, paratissimus quicquid fieri jusseris impigre exsequi.

ORA-

ORATIO V.

Ducis rejecto furto stragemata alia svadentis
habita a

GERHARDO RIEGEMAN Nobil.
LIVON.

Imperator Gloriosissime. Callido sane Ducis artibus militaribus peritissimi consilio lubens assentirer; eoq; haud dubie positam victoriam omnem arbitrarer, nisi animi Tui magnitudinem & sanctitatem dolum, tanquam anguem maximè averfatam notam haberem, quâ violatâ Numen Sanctissimum irritatum iri veritus es. Equidem metus est, desperata ex dolo victoria consilium licet callidissimum

simum irritum fore. Quâ propter calliditates quidem & stragemata alia svadenti mihi, furtum tamen minus ac Tibi placere coram fateor. Equidem docente Floro ignorari a nemine potest, dolum bonæ fidei è diametro esse contrarium, & virum sanctum atq; sapientem scire veram illam esse victoriam, quæ salva fide & integra dignitate paratur: quinimo aperta odia armaq; palam depelli; fraudem & dolum obscura, eoq; inevitabilia. Unde Salustius, inquit, adversam deprimere, homine strenuo haud difficile est; occulta pericula neq; vitare facile bonis in promptu est. Ad hæc accedit, multis populis dolum vili habitum, & viro gravi in-

dignum. Sic Achæis hostes fraude circumvenire nefas habebatur, consentientibus neq̄ splendidam, neq̄ firmam ullam victoriam, nisi quis palam & ex condic̄to depugnans amicos quoq̄ deiecisset adversariorū. Exempla Josuæ & Davidis Principū multitudinis adversus hanc rem ex pagina sacra recitata, erant planè heroica, quæ nisi præcipiente supremo Numine imitari fas non est. Verū quisquis dispari res veterū atq̄ hodiernorum populorū æstimatione metitur, crescentibus scientiis ac artibus didicerit pleraq̄ nostris moribus esse decora, quæ apud veteres turpia putabantur, nullum omnino bellum memorabile neglectâ calliditate hodie confici vi-

ci viderit. Repetamus paulisper res Gallorum gestas, ex his novissimas: consideremus bella, & reperiemus, plus eadem dolo quam virtuti, plus calliditati quam ferro debere. Et præsens, quod multis ab hinc annis cum Imperio nostro & fæderatis Serenissimis flagravit, nisi dolis & fraudibus altum fuisset, expectatione maturius extinctum vidissemus. Sed necdum ejusdem finis sperandus, nisi par pari referatur. Non sufficit huic par, imò nec major virtus; non sufficit par robur; sed calliditas calliditate, quam ratio svadet, æquitas poscit, repellenda est. Si tamen furtum minus Tuæ Majestati ac mihi displicet, calliditate nihilominus utendum erit.

erit. Nam idem, quod consilium antea ab æmulo Archistratego latum, hostem facturum esse coniecto, cui nihil turpe, nihil nefas, quod utile, esse videtur. Quapropter rebus sic stantibus noctem istam, velut in eam certamine indicto, insomnes milites Tuos agere, frænatos omnium equos stare, magnam exercitûs partem in ordines ire, & vigiliatam stationarias, quàm prætorianas intentiore curâ servari jube: ignibus tota castra fulgeant. Tu ipse cum ducibus agmina in armis ac ordinibus stantia circum equitato: Divinum Numen ab omnibus invocari jabeto; ut dignam illis veterem gloria, Majorumq; fortitudinem inspiret: Langvidos mone-

moneto, timidos increpato; territos erigito, talia voce proferens: Profecto, si qua divina opis auguria humanâ concipi possint, Deum nunc stare secum. His ita ordinatis sub proximæ lucis ortum signum tubæ vel tympanorum clangore receptui dari impera fugam præ hoste simulans, missis interea, antequam lux dispellit caliginem noctis, decem equitum selectorum atq; expeditissimorum millibus ad solvendum Rheni pontes, ne fugæ hostium detur locus. Sic incautus hostis titulo victoriarum priorum inflatus, & spe acquirendæ tum victoriæ novæ, cum prædæ castrorum nostrorum plenus, prærupto vallo in apertos campos effundet

coptas tumultuarie, atq; in ter-
gis fugientium hærebit. Cum
verò ad locum pugnae aptum
exercitus Tuus pervenerit in-
sequente hoste; sistere gra-
dum Tuos jube: & castigatis
territis confirmatisq; animis
intrepidus in hostem ire, pu-
gnam hucusq; dilatam acrius
inchoare; eminus tormento-
rum atq; minorum tubarum
glandibus, cominus stricto fer-
ro quosvis obvios laceffere;
deniq; sufferente prospectum
oculorum nube pulveris equo-
rum unguis excitati, quæ ad
cælum fertur; inopinato ag-
men in insidus relictum tergo
dimicantium opponi, & novæ
pugnae, recentisq; exercitus
speciem exhiberi. Sic Exer-
citus Gallicus, à fronte, & à
tergo

tergo signa germanica videns,
seq; Germanorum virtute &
calliditate victum sentiens lan-
gvidius pugnare incipiet, &
amissâ omni victoriae spe fuga
sibi salutem quæret; Tuq; Cæ-
sar ex utroq; futurus eris.

DIXI.

ORATIO VI.

habita ab

HENRICO HINTZE, Riga-Livon.
Sub persona Imperatoris R.
apertum prælium decer-
nentis.

Sic omnio est, Fi-
deles nostri: sic inquam
est, ut locuti estis. Consilio
& armis, Arte & Marte bella
geri nemo ignorat, nisi cui pe-
po.

po pro capite, & fatuum Stoicorum fatum Deus est. Senserunt hoc ipsum suo damno olim barbari: qui non viribus, non armis, non animo; sed consiliis destituti, a callidiorum parva sæpe manu impetiti, salutem in fugâ quærere non erubuerunt. Sentiunt id ipsum hodie adhuc gentes incultiores, quæ fato suo, viribusq; confisæ tot clades accipiunt, quot prælia cum cultioribus ineunt. His causis haud dubie moti vos aut dolo, aut arte hoc in belli discrimine utendum esse fufius svasistis. Verùm neutrius consilium, quod liberè sive tædio belli diutini, sive metu periculi, sive salutis publicæ causa tulistis, fortunæ præsentis facies simpliciter admittit;

nittit, sed aliam consilii rationem poscit.

Nam licet ratio sana svasedit, æquitas indulgeat, necessitas exposcat, ea quæ candidè svasistis: aliud tamen medium bellum præsens requirit: & quo intentiore industria eadem commendastis, eò remissione cura executioni dari possunt. Non quidem quod fidem vestram, quam per omnne tempus, ex quo ministerio vestro usus sum, inviolatam servastis, damnem; sed quod hostis, ut fama vulgavit, acie decernere paret. Ideoq; non furto, non dolo; sed armis, sed virtute hic opus est. Equidem Latrunculorum & furum hæc solertia est, quorum votum unicum est fallere, &

re, & fallacis potentiam hosti-
um frangere. Nostræ verò
gloriæ aut absentiam Ludovi-
ci XIV. aut angustias locorum
aut furtum noctis obstare ne-
quaquam patiemur. Malui-
mus nos fortunæ pæniteat,
quàm victoriæ pudeat. Tan-
dem votum nostrum imple-
tum est. Ventum est in cam-
pos, ubi acies explicari, & ho-
stis circumveniri poterit. Non
jam in angustiis & in viis colli-
bus, in quibus alias hostis con-
gredi solitus fuit; sed in aper-
ta planitie dimicandum erit.
Temeritas sanè est, quam ad-
huc pro virtute timuimus.
quæ ubi primum impetum ef-
fudit, velut quædam animalia
amisso aculeo, torpet. Apes
rerum naturalium perire scri-
bunt

bunt, immisso semel aculeo,
simul vires omnes & spiritum
amittere; crocodillum verò,
quod primo impetu non ster-
nit, intactum dimittere. Et
ipse Rex Galliarum Ludovi-
cus XIV. quantuscunq; igna-
vis & timidus videri potest, u-
num animal est, & ut credere
fas est, temerarium & vecors,
adhuc nostro pavore, quàm
sua virtute felicius. Nihil au-
tem potest esse diuturnum, cui
non subest ratio. Licet feli-
citas aspirare videatur, ad ul-
timum tamen temeritati non
sufficit. Præterea breves &
mutabiles vices rerum sunt, &
fortuna nunquam simpliciter
indulget. Forsitan ita supe-
rum Numen criminibus no-
stris offensum ordinavit, ut
Roma-

Romanorum Imperium, quod secundo cursu supra mille septingentos annos & quod excurrit, ad sumum fastigium evexerat, magno motu concuteret magis, quam affligeret: admoneretq; nos fragilitatis humanæ & rerum inconstantiae, cujus in prosperis rebus alta oblivio est. Olim finitimis bellum inferebamus, nunc sedibus nostris propulsamus illatum; at Deo pro meliore causa stante feliciter propulsabimus. Luent hostes dignas aliquando suæ temeritatis pœnas. Nunc eo ventum est, unde ne fugæ quidem locus erit. Nam illinc Rhenus annis navigabilis, hinc pœtora nostra prohibent inclusos, & quæ antea pro illis e-

rant,

rant, in contrarium conversa sunt. Et si augurari licet, maximum desperationis indicium est, quod urbes excindant, agros urant, oppida & vicovastent, quicquid non corruperint, nostrum fore rati.

Itaq; prælium vos parate sub ortum lucis proximæ intendendum. Nam si facie vicerimus, non nostra solum recuperaturi, verum omnia, etiam quæ hostium sunt, accepturi sumus. Ante omnia Sacerdotes, ut preces nostras sacrificioritè perpetrato præeant, milites ut curatis corporibus arma capiant, inq; ordines eant, pronunciate. Cætera, his ita ordinatis, quæ fieri volumus, deinceps imperabimus.

DIXI.

ORA-

ORATIO VII.

dicta à

WILHELMO GUSTAVO *Bârgen**Nob. Libon.*

Sub persona Regis Gall. super-
premos duces in consilium
advocantis.

Ministri fideles,

Jam universa futuri dis-
criminis facies in oculis est.
Videtur vel metacente ignes in-
aperta & lata planitie lucere,
flammasq; ex amplissimis Ger-
manorum castris splendere:
Milites, qui ad nutum monen-
tis intenti, sequi signa, ordines
servare, obsistere, circumire, dis-
currere in cornu, mutare pug-
nam, non minus quam
duces callent, in aciem ordina-
tos esse ab exploratoribus vul-
gatum

gatum est; ita ut ad prælium
omnia intentiore curâ ab ho-
ste parari nullum dubium sit.
Nam præter recensitas ab e-
missariis machinationes hosti-
cas, hoc accedit, quòd jam ex-
cursiones catervatim, turma-
tim, centuriatum fiant leviora
certamina cum nostris conse-
rentes. Imò velitationem e-
quites jam præmittunt, pro-
cursantes in pugnam levio-
rem, nec non bombardarii
pedites facta sclopetâ pulvere
sulphureo plumbeisq; globis di-
spodunt, & trajiciunt pilarum
grandine stantes in principiis
castrorum nostrorum. Deli-
berate igitur antequam venia-
tur ad manus de modo aggre-
diendi, aut si Martem iniquo-
rem futurum putatis, de ratio-
ne recipiendi militem. ORA-

ORATIO VIII.

recitata ab

ADAMO JOHANNE ZACHARIE
Exa-Livon.Sub persona Campiductoris
Regi Gall. apertam pugnam
commendantis.**R**EX potentissi-

me. Uti toto imperii tui
tempore armis consilia adhi-
buidisti servato tamen Tibi con-
siliorum arbitrio, eò quòd sine
consiliorum ratione omnem
belli apparatus fumum, vires
universas funus esse crederes;
ita nunc quoq; meam de futu-
ro discrimine sententiam au-
dire non erubescis. Adeoq;
quod factu optimum mihi vi-
debitur, liberè profitebor.

Emen

Emenfis tot terras in spem
victoriæ, de qua toties tamen
ancipiti eventu cum hoste de-
certavimus, unum hoc super-
est discrimen. Munimentum
Germaniæ fortissimum hunc
amnem, quò amplitudine ac
altitudine nullus Europæorum
fluviorum celebrior, supera-
vimus; urbes, arcesq; natura
& arte munitissimas præte-
runt aut in fidem accepi-
mus aut cepimus. Idq; virtu-
te nostra assecuti sumus, ut vix
toto orbe locus sit, qui tanti
Regis tantos viros ignoret.
Eadem quoq; præsens discrimen
superaturi sumus. Certe si
hostis vincere ausus fuisset,
minima exercitus parte
prohibere transitum potuisset
prærupta Rheni ac instabili ri-
pâ

I

pâ obsessâ: quippe nobis ex inferiore atq; instabili loco, pontibusq; vacillantibus, ut pote ex flumine adversus hostes in continenti atq; eminenti ripâ dimicandum fuisset: attamen virtuti suæ ac fortunæ diffusus liberum transitum concessit. Sollicitudo in super præfectorum agmina interequitantium certum indicium est sollicitæ expectatione mentis turbatæ. Ac profecto, si augurari licet, ingens sollicitudo in hostium castris est, eapropter milites eum ducibus noctem velut in eam certamine indicto metu agunt. Et nisi fallor, ut fallamur, castrorum manente specie plures de industria ignes Imperator fieri iussit, quo magis credamus ipsum in castris

stris esse, quem tamē potius fugam abstulisse opinor. Fæminarum non virorum animos ejusmodi terrent. Pectora nobis adhuc sunt, quæ non semel hostibus intrepidè opposuimus. Eadem nobis sunt manus, quibus cladem repugnantibus non unam intulimus.

Itaq; sub proximæ lucis ortum signum ad pugnam tympanorum sonitu dari jube, hostesq; acie ad prælium instructâ aggredi: quos metu pene exsangues, armis onustos, itinere fatigatos, ac in eodem vestigio hærentes impune trucidare licebit.

ORATIO IX.

habita à
CHRISTIANO SINGELMAN Dorpat.
13
Sub

Sub persona Archistrategi
consilium recipiendi militem
ferentis.

REX Fortissime.

Saga sumpsimus, ad arma ivimus: iisq; tot ab hostibus accepimus victorias, quot numeravimus praelia eandem singulis fortunam habentibus. Nec alium pugnae futurae eventum Tibi polliceri possem, si eadem cum duce aemulo praeterita, praesentia & futura aestimatione metirer. Verum cum in praesenti discrimine temporis, loci, & potentiae hostilis rationem adhibeo, consilium latum approbare non possum; & cum fortunam hostis in consilio non habeam, eandemq; aspira-

aspirare visam, non simpliciter tamen indulgere sciam; neq; victoriam ante praelium polliceri, nec praelium apertum svadere sustineo.

Equidem ut nunquam asvetus fui, solita ducum quorundam vanitate animum Tuum inflare, sed quicquid communi patriae salutis optimum, tuo nomini gloriosum ratus, liberè pronunciaui: ita nunc etiam coram dico, praelium declinandum esse. Ut autem id ipsum publici commodi, non privati lucris causa dixisse videar, consilii mei rationem reddam. Sed ut à capite rem ordiar: en vultus Tuus; quem alias in simili discrimine semper alacrem ac hilarem vidi; quocq; interrito certam victoriam

I 3 spem

spem auguratus fui, ingentem
 nunc animi sollicitudinem ma-
 li futuri prænunciam prodit.
 Præterea intuere exercitum
 Germanorum numerosum
 quem immensa planities vix
 capit. Hic sane tanti apparat-
 ūs, hæc tot gentium & totius
 Germaniæ excita sedibus suis
 moles nobis potest esse terribi-
 lis. Non vana hic sunt nomi-
 na, sed viri bello nati & affve-
 ti: Peditum stabile agmen est:
 vir viro, armis arma conferta
 sunt: milites ad nutum Impe-
 ratoris intenti, sequi signa, or-
 dines servare, novelli non mi-
 nus ac veterani didicere. Quod
 imperatur omnes exaudiunt:
 obstare, circumire, discurre in
 cornu, mutare pugnam, non
 duces magis quam milites cal-
 lent.

lent. Isti denique campi nostram
 paucitatem, quam alias sylvæ
 absconderunt, deprehendent.
 Vides ordines raros, cornua
 extenta, mediam aciem van-
 nam & exhaustam. Hinc fa-
 cile circui à tanta multitudine,
 & equorum saltim ungu-
 lis obteri possumus, si modo
 vincere hostis ausus fuerit.
 Tum si prælio vincamur, nec
 fugâ salutem querere poterim-
 us, hinc Rheno, illinc hosti-
 um acie inclusi. Et hæc cau-
 sa fuit, quod liberum nobis
 transitum hostis permiserit
 metum simulans; ut his in
 campis nobiscum in pugnam
 condescendat & circumdatos
 undique trucidet: & quos
 fuga abstulerit, Rheni gurgi-
 tibus solutis pontibus hauri-
 antur.

antur. Adhæc accedit, quod milites nostri nuper infidiarum nostrarum funere, portuum in Normandia excidio, & Sociorum fœderis in Pannonia quorum res adversa geruntur fortunâ territi, patriæq; calamitatis memores, conspectâ hostium multitudine, non modo non acriter prælium capessent, verum vix etiam arma capient, atq; in ordines ire poterunt. Hostes è contrario pro victoribus se gerent, duce Baudense, cui nunquam defuit perpetua in dubiis etiam rebus felicitas, animos firmante, cuius fortunam sibi quoq; vincere credent.

Adeoq; cum obscura luce tutior mihi recessus videatur, signum vigilia sexta receptum lampæ

lampade ad perticam appensa dari jube relictis in castris admodum paucis: illisq; de industria plures ignes struere iussis, agmina silente nocte ad Rhenum citato gradu properare: illoq; superato & pontibus recisis, atq; in adverso amnis littore castris locatis, ibidem operiri hostem nullus dubites. Sic difficultates, quæ nobis victoriam & salutem dubiam faciunt, in hostes derivabuntur. Interea supplementum novorum militum undiq; afferetur, quo in immensum aucto exercitu, alio tempore cum hoste congregi tutius licebit. Prædem me accipe, neminem eorum, qui me audiunt, assensum sententiæ meæ dene gaturum.

ORATIO X.

recitata à

WILHELMO GUSTAVO Bårgeth

Nobil. Livon.

Sub persona Regis Gallia

Inducias vicennales me-
ditati.**D**ulces Strenui.

Cum ex Gallia trajiceremur in Germaniam, multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio nostro nos addituros sperabamus. Nec se fellit spes, quod de his credebatur famæ. Et ad illa hoc quoque accessit, quod vos viri fortes erga Regem vestrum pietatis invictæ manseritis, & his in terris, ubi omnia luxu fluxere, nimia felicitate mergi nos

gi vos in voluptates non passifueritis; sed munia militiæ inter tot delicias non secus ac in paupertate, hoc animorum corporumque robore impigre toleraveritis: hocque non olim tantum sedula patriæ salutis curâ, verum nunc etiam consiliis promptis. Quorum tamen neutrum exsequi fortunæ præsentis convenit, sed alio modo hosti occurrendum est.

Nam aperto Marte cum tanti apparatus exercitu, quantum Germania vix unquam vidit aut conscripsit, decernere periculosum ac temerarium foret; si enim prælio vinceremur, bello victi essemus. At quò periculosius est prælium inire, eo turpius victoribus est pedem referre: cum receden-

tes pro fugientibus, fugientes
 vero pro victis habeantur. Et
 quod omnium periculorum
 maximum est, hostis intel-
 lecto recessu, languentes suo-
 rum spes nostro pavore eriget,
 qui in fugientium tergis hære-
 bunt, acriusq; instabunt. No-
 stri milites hostium appropin-
 quatione attoniti ex fuga de-
 prehensi ordines recuperare
 non poterunt; adeoq; per
 campos dispersi victoriæ vi-
 ctima futuri: & quos Mars
 non rapuerit, Rhæni gurgites
 haurient pontibus & navigiis
 ob multitudinem fugientium
 collapsis submersis. Ergo ad
 Pacem sequestram sive cam-
 pestrem recurendum, & In-
 duciarum consilia agitanda e-
 runt, ut bellum paulisper sus-
 pens

pendatur. Via enim ad Pa-
 cem Induciæ sunt amplius ad
 victoriam licet obliqua: per
 quam occultè scilicet hostium
 Præfeti circumveniri, miles
 corrumpi, consilia explorari,
 vires dissolvi ac disjungi con-
 tingit; & sæpe ut Poëta canit;

*Peragit tranquilla potestas
 Quod violantæ nequit: mandataq;
 fortis urget*

Imperiosa quies.

Sic acerrimi sæpe populi,
 postquam ad quietis studia
 conversi, in potestatem hosti-
 um venere. Subesse enim non
 tam durum æstimarunt, quam
 denuo bellare, pacis hac ima-
 gine ludificati, inescati. Pe-
 riisse hac arte Veientes memo-
 riæ proditum est, qui post lon-
 gam quietem imbecilliores,
 quia

quia insveta & ignota resumpserunt arma, infesta experti sunt. Idem Volfinienses & Cærites cum vejentibus fatum mansisse legimus. Legite ergo extemplo viros lingvarum exoticarum & viarum peritos, ac induciis hosti svadendis aptos, eosq; vigilia noctis sexta in Prætorium introducite, qui regali Syngrapho accepto sub lucis ortum itineri & operi se accingant, nostrumq; consilium fideliter ac feliciter exsequantur. Præsentem haud dubie in Prætorio Imperatoris habebunt Illustrissimum Potentissimi Regis Sveciæ Oratorem, qui autoritate Regis sui Inducias commendabit & stabiliet, indignationemq; ac arma minabitur ei, qui inducias

ante

ante terminum earundem ruperit. DIXI.

ORATIO XI.

Sub persona Legati Turcici.
Inducias Germanico-Gallicas improbantis,

recitata à

WOLMARO ADOLPHO
STACKELBERG,
Nobil. Livon.

Ludovice victoris gentium terrarumq; domitoris populi regnator maxime, idemq; extra comparationis aleam imperantium optime, Galliæ amor, christianæ rei titulus. Tertius supra decimum annus incipit, ex quo Ottomannica Majestas me Oratoris ordinarii muneri in Aula Tua

la Tua admovit. Per id omne
 tempus Tu cum eâ benevo-
 lentia significatione me sem-
 per excepisti, quâ soles erga eos
 esse, quorum de fide & probi-
 tate opinionem firmam con-
 cepisti. Orationes, rationes
 & mandata mea animo & fron-
 te satis benigna accepisti. Ego
 quod mearum fuit partium,
 quæcunq; vel in minimis ha-
 bui pro publicis utilitatibus:
 nec quicquam, nisi quod in
 commune prodesse intellige-
 rem, spectavi. Equidem mihi
 à Domino meo augendi sui im-
 perii non minuendi partes
 commissæ sunt. Nec mihi fas
 est conditionem ejus facere de-
 teriorem: ejus non meum ne-
 gotium agitur. Et nunc cum
 ex autore bono habeam Indu-
 ciarum

ciarum consilia à Te & Ger-
 manorum Cæsare agitari, non
 possum non eadem improba-
 re ceu fœderi nostro, quod æ-
 ternum esse voluisti, adversa.

Equidem nihil religione fæ-
 derum regionumq; pactorum,
 ut auctor est Xenophon, ha-
 bendum est antiquius: & ju-
 bente divino ac gentium jure
 fœderum sacrosanctam apud
 omnes gentes religionem ex-
 titisse universa antiquitas te-
 statur. Hinc veterum nonnul-
 li fœdera percutientes, ut con-
 staret, haud levis rem negotii
 geri, diras adhibere soliti fue-
 runt, quibus eum, qui pactis
 non staret, devovebant. A-
 pud Medos Lydosq;, ut san-
 ctum fœderis vinculum esset,
 eductum è mutuis pangenti-
 um

um fœdus corporibus sanguinem gustabant. Principes multitudinis fœdus Gabaonitis jurarunt in nomine Israël & DEi vivi.

Eâdem tesserâ fidem fœderi nostro præstitisti. Nimirum advocato teste Jesu Nazareno, eodemq; si rumperes, vindice: qui etiam certo certius ultor prophanati sui nominis adfuturus est, si fœdus non servaveris inviolatum, quod neq; vi, neq; dolo Sidus Thracicum perpetuum Tecum pepigit ad defensionem & offensionem; quodq; hætenus firmum, fidum ac securum præstitit æqualis utilitas, æqualis rerum agendarum aut suscipiendarum metus. Quamvis id ipsum Tibi tantum profuisse ne-

mini

mini non constet. Nam Turum imperium in his turbis Fata secundo cursu per decennium, & quod excurrit, ad summum fastigium revexerunt, nostrum concusserunt magis & affligerunt. Tu victricibus armis regni tui terminis tot adjecisti Germaniæ provincias, quot nos in Europa & Asia amisimus. Tu ingentibus Germaniæ opibus ærarium regium auxisti; nos totius orientis divitias, quas multi Principes longâ ætate cumulaverant posteris, in bellum hoc diutinum impendimus. Nec tamen Sultanus meus fœderis observantissimus Induciarum aut Pacis consilia in seio Te animo agitat; verum cum versabilis fortuna sit,

mitio-

mitiores ejus vices de diè expectat. Suâ sibi dextra tot malorum ac damnorum multo-
nem pariet. Ipse sua majesta-
te gentisq; dignos accepit spi-
ritus, & eadem animi constan-
tia, quâ præterita toleravit,
experietur, quicquid fors de-
inde tulerit. Et si dij sive-
rint, nec pium ac justum bel-
lum averfati fuerint, in perpe-
tuum Eum victoria egregia
nobilitabit: & hic belli fructus
& finis erit. Te igitur per
fidem Tuam obtestor, ut ma-
lis gloriæ tuæ quam utilitati
obsequi, atq; projectis Induci-
arum consiliis, si quæ animo
agitasti bellum protrahere: ni-
si hostes ad eas Pacis conditio-
nes accedant, quæ & Imperato-
ri meo tolerabiles futuræ
sunt. DIXI.

ORATIO XII.

Sub persona Legati Sveoni-
ci Inducias vicennales Impera-
torem inter & Gallum, uti-
nam felici omine! sta-
bilientis

habita à

PETRO RADEKENO,

Reval. Livon.

PRincipes Poten-
tissimi. Maximo totius
Europæ damno cruentum in-
ter vos bellum multis annis
gestum esse nemini toto orbe
terrarum ignotum est: quo
Germania nobilissima atq; cul-
tissima Europæ pars ad inci-
tas pene ac solitudinem reda-
cta est. Nimirum omnia tam
diutino bello exhausta, non
non

non urbes suos incolas, non
 agri cultores habent. Inso-
 lentia populantium aquam i-
 psam, terrasq; neq; fontium
 haustum, nec solitos cibos re-
 liquit. Sacratæ Deo ædes ru-
 inis & ignibus deletæ: urbes
 tot nobilissimæ ad solum diru-
 tæ, ut vix illarum species ani-
 mis repræsentandæ supersint.
 Immensa terrarum spacia ar-
 cibus oppidis atq; vicis olim
 frequentia cadavera saltem
 munimentorum suorum ad-
 venis spectanda præbent, quo-
 rum miserabili excidio Majori-
 bus parentatum fuit. Nec
 adhuc mali finis sperandus o-
 dio in majores flammæ cre-
 scentæ, multo minus bello an-
 cipiti durante Pax expectan-
 da. Interea totus, Christiano-
 rum

rum orbis publicæ salutis nau-
 fragio laborat. Quos enim
 Mars ferro non ferit, bonorum
 tamen damno sine eorundem
 culpâ haud parum affligit. Et
 hæc causa est, quod Potentis-
 simus Sveonum Rex ac Do-
 minus meus Clementissimus
 studio publicæ Christianorum
 salutis, cum pax speranda non
 sit, se pro arbitro litium ve-
 strarum, consilio tamē vestrô,
 gerere ausit, neq; ad stabili-
 endam pacem vel Inducias vi-
 cennales in hunc campum
 Martium ablegaverit.

Atq; dum spem pacis plenæ
 ab omnibus amissam videam,
 ad Inducias sive pacem seque-
 stram recurrendum est, quæ
 velut belli feriæ sunt, ut qui-
 dam Poëtarum cecinit:

Bis

Bis senos pepigere dies & pace se-
questra

Per sylvas Tencrii, mixtimq; im-
pune Latini

Erravere jugis.

Et cum Induciæ à ducendo ad pacem appellationem trahant, omine forsan & nomine vobis quoq; mitigatis paulatim animis duces ad Pacem perpetuam præstabunt, vobis quietem terris vestris ad mittentibus, iram temperantibus & citra effusionem sanguinis vestrorum tranquillitatem amantibus. Nam cum via ad pacem à bello brevem, ut indicat nomen induciæ sint, ad logam ac duraturam tamen animos utrinq; præparant. Dū enim hostilitas cessat, liberiores literæ, solutiores sermones fami-

familiares negotiationes, amiciores amplexus intercedunt, quæ omnia pacis illectamenta sunt, & homines nos movent ad concordiam & pacem à natura factos. Admissis itaq; Induciis, quarum repudiandarum metus nullus subest, sensim si non subito, quod magno motu agitatam est, quiescet; vel quod dejectum fuerat, surget & attolletur. Ipsæ Induciæ, ut spero, ultra spatium utriusq; cum comodo, durabunt, & ætatem sibi adsciscent tacito quodam partium consensu, usu, affectu. Sic Helvetiis quondam semel pactæ induciæ, semel confirmatæ deinceps inviolatæ manserunt, sanctâ & plena pace nihil inferiores. Eodem modo istæ quoq;

quoque induciæ robur ab ipso ævo & silentio accipient, cum fides gentis vestræ à tempore independens terminos fidei ignoret. Ratio autem Induciarum, quæ toti Imperio. ejusque fæderatis æquissima videtur, hæc est: scilicet, ut mercimorum, navigationum & vetigalium usum pristinam faciem litigantes accipere patiantur: quicquid violentia rapuit redeat ad Dominum suum: bona hæreditaria confiscata, habitationis, emancipationisque causa restituantur: induciarum tempore nullæ arces novæ exstruantur; id enim esset bellum renovare: novis tributis oneribusque advenæ non graventur, id enim esset inducias non habere. Et damnosa es-

sa esset amicitie fiducia, sub quâ nocendi modos hostilitas sequitur. Ideoque si simulato tantum vultu induciæ arrisisse viderentur, mallet quisque pugnare quam decipi, atque experiri belli aleam, quam larvam pacis timere.

Ne itaque obnoxia suspicioni Induciarum consilia metuantur, Principes Potentissimi, jungite dexteras, Induciasque has, quas autoritate & auspiciis Regis mei Justissimi stabiliri voluistis, sanctas habete: ne, qui eas temerariè ruperit, Eundem quem modo testem Pacis sequestræ habet, deinceps custodem, ad ultimum severum vindicem experiatur.

DIXI.

K 2

ORA-

ORATIO XIII.

quâ

JOHANNES JULIUS de Brömsen/

Nobilis Livonus

Auditorio pro benevola attentione grates persolvit.

SEPTIMUS jam

volvitur mensis A. O. O. H. ex quo nos quotquot cernitis, novos oratores, laudanda parentum nostrorum cura huic bonarum Artium officinæ admovit. Per id omne tempus jucundis literis, atq; variorum studiorum amœnitate ad magnæ fortunæ cultum erecti immortalitati operati sumus. Grande autem hujus operæ, ac qualiscunq; laboris nostri pretium simul & in-

& incitamentum; cum non in totum ejectas, profligatas literas cernimus, quas livor & incuria, & quorundam hominum, qui sua tantum admittuntur, quibus aliena sordent omnia, supercilium pene scholæ profligaverat; sed resurgere afflictas, paulatimq; redire honorem his studiis, quibus solis inter tot artes ac disciplinas humanitatis titulus ad hæsit: simul augeri in dies discernitium alacritatem, novos ingeniorum proventus, ac nobilitatem frequentiam, non tam corpore, quam animo hæc subsellia implentium. Et cum alias in hac Lycei celebritate ingens circa Rhetores solitudo spectaretur, ac nemo auriculari opponeret, passimq; adolescentes

tes eo confluerent, quo ambitus, blandaq; frequentia conciliatrix laureæ spes ac metus contraheret: cum præterea inanis persuasio teneras mentes occupasset præ artibus ac scientiis quæstuosus esse in frugiferas has literas atq; esuritionis magistras, & ideo juvenis scholarum ergastulis paulo ante soluta, omnem primæ literaturæ imaginem tanquam pueritiæ rudimenta ac captivitatatis notā averfaretur, atq; hæc loca tanquam pistrinum averfaretur; virtute tamen haud dubie superum ac mortalium favore, sive sorte quadam, quæ etiam hæc umbratica negotia versare amat, sive nonnulla nostra industria ac dicendi infantia effectum est; ne in hu-

mani

mani generis conventu soli spectaremur, eoq; ludibrio interrim careremus artis dicendi exercitio captandi eos apud quos diceremus. Nam si ars ista popularis est, atq; eloquentiæ effectus audientium approbatio, fatendum est nobis, adhuc ingenium ac dicendi virtutem, quàm auditorium defuisse: idq; auditorium, quod non tam numeres, quàm æstimes. Maximum profecto humanitatis erga humaniora nostra studia indicium est, viros & virtute & eruditione clarissimos abdicatâ quasi officiorum splendidissimorum curâ, in hac celebritate vidisse: maximum ingeniorum nostrorum incitamentum, viros rerum peritissimos non tam

K.4

tam

tam iudices quàm testes indu-
striae qualiscunq; habuisse: ma-
ximum Exercitii nostri testi-
monium, omnium oculos, au-
res ac animos in nos conver-
sos advertisse.

Quare A. O. O. H. Fauto-
res Musarum ætatem colendis-
simi, non possumus non gra-
tias vobis, quas mente huma-
na concipere licet, habere,
imo de die referre, maximas.
Quod balbutientibus linguis
nostris attentas aures oppone-
re; vultibus vestris hunc pro-
fectuum puerilium ludum illu-
strare; spectatissima præsentia
hanc celebritatem celebri-
orem reddere perbenignè di-
gnati sitis. Præde me accipite,
neminem eorum, quotquot in
hac palæstra oratoria benigno
vultu

vultu intuiti estis, fore, qui se
non ad perpetua pro felicitate
ac incolumitate vestra, vota
damnatum iri patietur: ne-
minem inquam fore, qui non
tanti amoris ac favoris causâ
officia, qualia humanis viribus
imperari & perpetrari possunt,
impigrè exsecuturus sit. Cæ-
terum & solennis Poëtarum
mos olim erat grande epos à
Superis auspiciari, atq; ut in-
stincta numine pectora decet,
carminibus exordium: celo
devocare, bonisq; omnibus
ac precationibus, deorumq; o-
peris vestibulum angustius
reddere: ut Aratus à Jove, re-
liqui à Camænis exorsi divini-
tatis fiduciam præstruxerunt,
captisq; ingentibus prosperos
inde successus augurati sunt;
Ita

Ita nos quoq; felix & fortunatum imprimis credimus, non quidem ac illi ex κακοζηλία Minervam parturientis Jovis eerebro expulsam, sed zelo pio ac vero verum studiorum nostrorum Præsidentem Actui Oratorio advocare, atq; cum Eodem Bono Deo finire: voverites, ut Dator ille omnis boni, ac Princeps Pacis, non tantum conatibus nostris deinceps ut hactenus benignè adesse; verum etiam illam, cujus imaginem hodie repræsentatam vidimus, Pacem diu desideratam Germaniæ admodum bello vexatæ re ipsa clementer largiri velit: utq; ita universus christianorum cætus videat Thracii Syderis crudelitatem oppressam, regnorum conflagrationes

tiones extinctas, busta Provinciarum reparata, opes civium atq; incolarum restitutas, assertam legibus auctoritatem, vindicatam religioni majestatem, & clausis Jani portis compositi orbis tranquillitatem. Videant inquam hæc futura secula, & sine offensa quam diutissimè iis perfruantur. Idq; si res postulat, providentiâ, consilio, industriâ, auctoritate & felicitate Potentissimi Regis nostri CAROLI XI. DIXI.

ACTUS III.
ORATORIUS

210

ΑΓΟΡΑ

GEORGIO EBERHAR-
DO de HEYDERSDORF

Traditæ Gallis Heidelbergæ

auctori cognitâ causâ sen-
tentiâ ferendo repræsen-
tabatur,

Anno R. S. M. DC. XCV.
DIE XVI. JANUARIJ.

Sola

Sola & unica vir-
tus est via, quâ mortalibus
ad honoris culmen ire non mo-
do fas, sed & decorum est. I-
deo Heroës, veteribus viros
Nobiles dictos, Græci ἀπὸ τῆς
ἔριδος τῆς ἀρετῆς ab amore virtutis
appellationem suam traxisse
haud obscure tradunt: quod
gestis rebus proximè ad Deos
accedere videantur, ac virtu-
te, cui in via nulla via est, soli-
tos hominum labores super-
gressi, id honoris fastigium oc-
cupent, ad quod nemini sine
virtute gradus patet, neque idem
diu tenere contingit. Nam
ut rectè magnus ille Stagiræ
alumnus scribit: ἀνὸς ἀρετῆς ἡ
εὐδαιμονία φέρει ἐπιμελῶς τὰ βουχίματα
τα, sine virtute non est facile res.

K 7

secunda

secundas rectè ferre. Virtuti maximus habendus honor. Virtutem nihil formæ pulchritudine vincit, nihil boni præstantia antecellit, imò nec exæquat. Virtus beatum facit, honoratum nobilem. Cætera omnia caduca sunt, aurâ quâvis versabilia. Sola virtus temporum fortunæq; vices ignorat, in lucta tempestatum quieta, in tenebrarum caligine splendida, non obsolescens alienis fordibus, non fracta suis incommodis. Hinc nihil natura adeo altè locavit, quo virtus eniti non possit. Thesea Pirithoumque matronam ditibus diripere aggressos vates maximus scriptum reliquit. Non eos longa & inextricabilis via, non demersa visceribus

terræ

terræ umbrarum regna, non crassam Inferum caliginem, non igneos amnes, & refusa Stygis vada, non solido adamante vinctas fores, non belluam centicipitem, furiarum cubilia, fontium verbera, dirarum lampades, & quicquid unquam metus aut concepit, aut finxit, à tanto incepto absterrere potuisse. O illis robur & æs triplex circa pectus fuit! qui mundi confinia, mortis limites, atque eructantia Inferum caminis incendia, non fictis tantum oculis, spectare, sed sponte subire potuerunt. Quid illis fortius, aut animosius unquam inveniri potuit, qui intrepidè mortuorum sedes solo nomine horribiles viventes adière, claustraque ma-

nium

nium perfringere, infernos potes revellere, diras excubitas fallere aut pellere, naturæ deficientis latebras rimari, toto mundo obrutam Reginam procari, orbemq; alterum concutere aggressi sunt. Metus, horror, ignis, tenebræ, chaos dulcia virtuti. Sed quid juvat præclara rerum humanarum documenta fabularum integumento mortalium oculis subducere? Quis ignorat Alexandrum Regum facile maximum virtute in id fastigium collocatum, ut cujus amplitudini orbis cogniti fines angusti essent, ejusdem auspicii ac virtute novus quasi orbis Macedonibus aperiretur. Unde immensa victoriæ prætia, illibatas Indorum gazas, non telluris modo

do visceribus abstrusas, aut profundo pelagi demersas, sed aurum, ipsa soli superficie & micantibus glebis radians, aut montium cacuminibus germi- nans, aut fluviorum lapsu flaventes arenas oblimans, in Macedoniam effudit; oblitus patriæ atq; necessitudinum novissimo & sine finibus oceano in incertum fortunæ eventum, nec non præsentissimum discrimen vela dare ausus, & per inhospita littora, atq; intentata vada, per belluas & naufragia opus vel Superis invidiosum aggressus, immensam barbariem exercitu tot itineribus totq; bellis fatigato subegit, & invicto animi robore, corporeq; ad laborem, inedia, sitis, algoris, æstusq; toleran-

lerantiam indurato tam vincere scivit, quàm victoriam ferre, gentesq; subactas in officio continuit, iisq; artibus, quibus imperia comparavit, parata conservavit. Innumeros alios ex Historia R. si pagina caperet, citare liceret: quos in hoc natura terris commo- dasse videtur, ut ostenderet, quid summa virtus in summa fortuna efficere possit: qui ta- men totam fortunæ claritatem uni virtuti ferrent acceptam: qui non Principum serie tu- mentes, sed modicis initiis, incomparabilis ingenii præ- stantia, solertia, ac fide, omnes honorum gradus emensi in proximo Regiæ Majestati fastigio advenæ steterunt, ut æ- tonitis omnibus, non maximi modo

modo regni, sed ad extremum rerum humanarum arbitri, or- bem consiliis atq; operibus fa- tigarent, cuncta nutu rege- rent, jura, Legationes, fœdera, exercituum Præfecturas, im- perii opes & arcana in manu haberent, gentes quas vellent bello quaterent, & cum visum esset optima pace refoverent: quodq; alias inauditum, non modo cum Principibus, sed cum Regia domo genus ac sanguinem miscerent. Ita qui- bus generis claritudinem fors invidit, animum non abjece- runt, sed in sua manu & virtu- te situm intellexerunt, è sordi- bus & obscuritate emergere seq; in splendorem asserere, su- pra fortunam surgere & ita inclarescere, ut etiam eorum lumi-

luminibus officiant, qui mortuorum præficarum majores suos, se autem non laudare possunt. Unde à Solone rectè promeritum est: Pulchrius multo parari quàm creari nobiliter. Est ergo sola atq; unica virtus nominis splendor non alienus & adscititius, sed rectè & præclarè factis partus, & ut ita dicam, natus ex se. Est inquam virtus sola & unica via, quâ iuratur ad astra. Utinam omnes ac singuli eam tererent! utinam omnes ac singuli eandem ad occupandum præmia honesta ac utilia currerent; Verùm haud exigua mortalium pars spretà hâc viâ regiâ extra oleas vagatur. Multi quod virtute difficulter acquisitum iri putarunt, scelesti facinore

majori

majori publicæ rei damno quàm commodo, consequi tentant. Nonnulli illis, quorum imperium modestè ferre nolunt, vel quos sibi ob æmulationem dignitatis adversos putant, venenum vel præsentarium, vel ejusmodi quod mortem in diem profert, propinant; eo consilio, ut eorum corruptione ipsi incrementum capiant. Alii, quibus publicæ rei salus credita, non raro infidias parant. Itaq; unde præfidium petendum, sæpe periculum existit. Quod si talia impunè perditii homines ferrent, quò se conferrent Principes? cui capita sua crederent? cujus fidei tutelæq; Salutem, spem victoriam suam committerent? cujus imperio

ditio.

ditioniq; tot civium socio-
rumq; millia atq; regiones op-
ulentas subjicerent? Profecto
Nulla fides pietasq; viris qui castra
sequuntur, ut Poëta cecinit, es-
set. Juberetur ex orbe in exi-
lium abire virtus, & summa i-
mis confunderentur. Quia
propter Supremus seculorum
Conditor crescentibus cum ge-
nere humano delictis sapien-
tissimè Magistratum in terris
constituit, eumq; Legibus &
gladio armavit ad dicendum
in excelso Themidis Templo
præmia & pœnas. Hic san-
ctissimus confessus, cælestis il-
lius simulacrum rerum naturæ
vices ac mortalitatis negotia
æterna lege regit. Huic tan-
quã pro specula excubanti hu-
mani generis fata concredita
sunt,

sunt, nec secus ac Jupiter Ho-
mericus ex geminis dolijs bo-
na atq; adversa mortalibus
partitur, & cum diis ipsis be-
ne merendo de hominibus
contendit, Jupiter ille adhi-
bitis in concilium Diis assesso-
ribus fulmina mittit, altasq;
turre jaculatur; ita Magistra-
tus, cum opus est, de capite ac
fortunis hominum sententiam
ferunt, iidemq; mortales Joves,
Tros, Rutulusve fuat, æqui
sunt. Norunt enim, tum Rem-
publ. florere, cum bene de pa-
tria meriti præmiis onerantur,
& malè operati debitas luere
pœnas jubentur. Viget Dei
Providentiâ divina hæc ordi-
natio adhuc in orbe christia-
no: viget in Imperio Romano-
Germanico, ubi in Justitiæ sa-
crario

crario non Homericæ Dii gregatim ac tumultuariè, multoque nectaris flore percussi congregantur & in partes divisi mœra mapalia faciunt; sanctioris sapientiæ decus, sed utriusque literaturæ cognitio, sed artes domi forisque præclaræ conveniant, ac pro civium salute, summa majestate, pro patriæ dignitate, pro gloria, pro immortalitate pervigili cura consultant. Ejusmodi exemplar duobus abhinc annis in Svevia editum est. Ubi Georgius Eberhard de Heydersdorff Magistri Equitum Vicarius, Præfectus Heidelbergensis & Ordinis Teutonici Eques, qui pactitiâ deditione urbis arcem Gallis tradidit Perduellionis accusatus, coram

ram Concilio frequenti causam dicere jussus, facinoris convictus Exauكتورatione, & missione ignominiosa punitus est, bonis ejus omnibus Fisco acquisitis. Forum istud B.C.D. juventus nostra Scholastica Classis primæ die supra indicta repræsentatura est. Adeste igitur, quos hac causa publico hoc alloquio demissè, reverenter, studiosè invitamus, omnes & singuli Vestris Titulis, Locis, Muneribus, Ordinibus, Fautores Literarum longe Honoratissimi, Præsentem vos excipiemus observanter, abeuntes voto comitabimur, absentes venerabimur, laudabimus, amabimus. Dornpati An. M.DC. XCV. Die

XV. JANUARIII.

L

ORA-

ORATIO I.

quâ

Prologus JOHANNES JULIUS
 Bröms / Nobil. Livonus
 apprecando Annum novum &
 strenam offerendo, actûs Ar-
 gumento proposito, Auditor-
 res ad audiendum debitè
invitabat.

Salve undiq; cir-
 cumflua Auditorum coro-
 na, vel millies salve. Ita non
 immerito decima sexta hac
 profesta noviennii die, quâ
 primo in hoc Hebetario nostro
 actum nostrum Progymnas-
 maticum serenatura, admo-
 dum frequens confluxisti, Ma-
 gistri nostri jussu & scholasticæ
 juventutis nomine compello.
 Invi-

Invitat nos ad amicam hanc
 compellationem veneranda
 antiquitas, imò & pietas ad i-
 dē officii genus invitat. Nostis
 A. A. O. H. ab ultimis fere tem-
 poribus hunc adolevisse mo-
 rem: ut circa Calendas Anni
 recentis auspices, quibus men-
 sium recursus aperitur, sibi
 invicem in testimonium stre-
 nuitatis, inq; singulare ad eam
 protrahendam hortamentum
 strenæ offerantur: quæ ulterio-
 ri simul sint indicio, nos tunc
 temporis decorè cælestem po-
 testatem comprecari, quò cir-
 ca omnes actiones per inte-
 grum annum prosperorum o-
 mnium vicissitudo votis abun-
 dè respondeat. Istius quoque
 prisca moris observantiam pia
 nostrorum christianorum vo-

luntas complectitur, nos quoque in pietatis ac virtutis studio decurrentes ad imitationem voluntatis illorum deducere scitote. Ante omnia verò pio Deum Teroptimum Maximum voto convenio. Velit diapsius Clementia felicitatis vestrae processum per integrum hunc annum, aliosque plures secuturos in solido collocare. Velit pia ipsius indulgentia novum corporis animique robur ac vigorem; velit novam regendi facultatem; velit salutem & vitam ulteriorem; velit victum & amictum uberio-rem, aliaque bona cumulatissime vobis largiri! o perenne sit, quicquid boni possidetis, in prosperis consilia, in adversis solatia, plenis non manibus, sed horre-

horreis quasi subministrante Deo! o maneat, maneat, qui omnia potest, propitius vobis Deus! Præstes maneat & Præstes laborum vestrorum Deus! Hodegus vitæ vestrae fidelissimus in omnem ætatem maneat Deus! Ita totus discentium cætus vovet, ita ego voveo, votisque meis vos A. H. cum charissimis pignoribus vestris Deo Unitrino commendo.

Et quoniam commendatam sibi Deus commendationem vestri haud dubie habebit, missis bonis verbis ad alterum Pietatis officium vobis præstandum, quod est strenæ dedicatio, avocor. Inoleverat enim pene ab adolescente mundiæ tate, & ab infantia Urbis Martiæ ritus dedican-

dicandi strenas auctoritate ac imperio Tacii Regis: quæ verbenas felicitis arboris ex Luco Streniæ anni novi auspices primum accepisse memoriæ proditum legitur apud Symachum Lib. x. Epp. Venientibus enim Calendis Januarii volitare undiq; dona, ferri undiq; munera, misceri gratulationes & ieiunium: nec quicquam seu lætitiæ, seu solennium feriarum omittebatur. Quodcumq; in domo rarum & charum, a suo ad novum migrabat dominum, eò quòd novus esset annus. Et vota apud gentem superstitionibus mancipatam firmo cinno connexa erant cum strenis; ut istæ in defectu illorum muta, cum iisdem vero vocalia & acceptiora essent munera.

munera. Quamquam vero strenarum usus Edicto Tiberii Cæsaris, ne ultra Calendas Januarias frequentarentur, esset vetitus; certum tamen est, Cæsarum Cæsarem Caligulam Tiberii successorem illius Edictum alio infirmasse, consuetudinemq; illam, licet à morte Caji denuò prohibitam, nihilominus iterum revocatam. Pari omnino modo cum gentilis hic ritus quondam in christianorum ingenia inferetur, licet per Concilia & Canones eidem obviam itum, nec non anathematis fulmine transgressoribus à Zacharia Pontifice R. impactum fuerit: idem tamen è Paganismi pomœriis in Ecclesiæ christianæ viridaria implantatus & propagatus, eti-

annum per tot hominum
 vias viget, & utroq; quod dicitur,
 pollice premitur; ita ut
 Hipponacteum præconium om-
 nino nostra ætate effugiat,
 ne ab Amphictyonum confes-
 su aliquo sibi metuere habeat,
 quisquis strenarum commer-
 cium frequenter: quum longe
 absit à christianis superstitio-
 quæ strenarum Romanarum
 votis ex vitio pravi seculi ad-
 hæsit: quum absint auguria &
 vanorum lucrorum, negotio-
 rum, ludorum, sortiumq; aucu-
 pia, quæ strenis Romanis affri-
 cuit Satanae malignitas; quum
 absint verba simulata, fucata
 ad decipiendum, ad execran-
 dum composita; quum deniq;
 absit abusus quivis alius, quo
 verba seria & devota vota in
 ridicu-

ridiculas, leves, ineptas, vanas,
 ludicras, & sæpe in turpes &
 abjectissimas res abeunt. Non
 inquam talibus Paganorum su-
 perstitutionibus christiani stre-
 nas suas fœdare solent; verum
 in orbe christiano alter alteri
 sub novi anni initium & pro-
 gressum, promptum Dei fa-
 vorem, nec non exitum redi-
 tumq; illius felicem precatur,
 pariterq; quilibet pro more fa-
 cultatum suarum munuscu-
 lum offert. Idem mihi hodie
 cætus scholastici nomine imi-
 tari haud dubie fas erit. O si
 ergo nunc tam felici opum
 mihi esse liceret, ut auro ducta
 munera offerre possem! quam
 vellem sacerrimi hujus institu-
 ti usum liberalitatis festinatio-
 ne prævenire. Felicitate nulli
 L 5 secun-

secundus essem, si filialem affectum novo Cræsi prignore contestari possem. Verum quoniam & vos divitiis in pulvere scholastico non magnum esse locum, non ignoratis: & ego nec vos signatiæris honorem à me expectare novi; strenam vobis dedico Forum hoc specimen studiorum nostrorum: quod, dum vultibus benignis & mentibus æquis accepturi estis; in hac arena vobis Concilium Bellicum sistet. Coram hoc Advocatus Fisci fatum Heidelbergæ metropolis Electoris Palatini, antiquitate, Academia, Bibliotheca & arce celeberrimæ, omnibus exceptis hostibus, miserabile memorabit: Auctorem traditæ hosti Urbis Heydersdorffii.

dorffium Præfectum ejusdem atq; Equitem Ordinis S. Johannis Perduellionis accusabit: Indicibus certis eum criminis convincere nitetur, Justitiamque Concilii Bellici implorabit, ne delicta impunita maneant. Reus metu, ac urbis servandæ desperatione facinus excusare, pœnamq; in comparatione meritum multorum, deprecari sustinebit. Concilium vero audita re, deliberationeq; ut tali in negotio par est, institutâ, sententiam reo feret: quam is qui à secretis est, more solito conceptis verbis recitabit: Eques vero Ordinis Teutonici jussu Concilii partim exsequetur. Ut igitur, qui corpore præsentis estis, animis etiam non abesse velit, est quod obnixè oro.

ORATIO II.

quâ

Magister ordinis Teutonici
& Concilii Præses Advocato
Fisci, Indicibus, ut & reo co-
piam dicendi fecit,

habitâ ab

ERICO BARTOLDO GUMMERT,
Dorpat.

Virtute Reipu-
blicæ integritatem rectè
formari, augeri, gubernari,
conservari unanimis Politico-
rum opinio semper fuit. Quem-
admodum enim natura nihil
adeo altè locavit, quò virt⁹ eniti
non possit; ita nihil sibi inte-
gritatem polliceri habet, quod
virtute vacat. Virtute Impe-
ria, quotquot orbis hæctenus
vidit

vidit, ac modestè tulit, stetere;
hæc destituta sua sponte, vel vi
admodum exigua admotâ col-
lapsa sunt. At non una tantæ
moli condendæ sufficit virtus,
verum plures requiruntur,
non quidem ob æmulationem
operæ adversæ, sed concordæ:
quæ quò arctiori concordæ
vinculo ununtur, eò felicius
ac facilius Republicæ moles
erigitur, erecta, regitur, recta
conservatur, conservata auge-
tur. Nulla itaq; virtutum sua
laude fraudanda, justitiæ ta-
men primas deberi haud invi-
dia reliquæ ultro largiuntur.

Hæc enim judicia rectè e-
xercet, ut benè de Republica
meriti præmiis donentur, ma-
le operati supplicio digno pu-
niantur, ne barbaræ licentiæ

L7

suæ

suæ mores in mitiora ingenia transferant. Nulla inquam virtutum honesta animis ac utilia magis infundit, dubiosque & in pravitatem propensos ad meliorem frugem revocat, quàm sancta justitia in pectora paulatim demissa, frequentius inculcata, frequentissimè exercita. Hæc Magistratus justissimum Numen vel vicereferunt, vel proximè consequuntur, suum cuique æquissima bilance tribuendo. justitiâ magistrâ cuncta rerum humanarum negotia dextrè aguntur, bella bellè geruntur, regna tranquillè reguntur, fœdera justè æmulos inter Principes panguntur, amicitia vincula parentes inter ac imperantes solidè firmantur, scele-

rum

rum ac vitiorum mancipia proscribuntur, artes optimæ aluntur, virtutes perenni quasi traduce propagantur. Ubi vero Injustitiæ locus datur, ibi ne admotis quidem causis externis expectatione maturius omnia sua sponte corrumpunt, reverentia excedit animis, & summa inis confunduntur: Imperium in Tyrannidem, pœna in crudelitatem, libertas in licentiam, liberalitas in avaritiam detestandâ metamorphosi degeneraret, multique cum scelestis insontes violatæ justitiæ victimæ fiunt. Quemadmodum enim bruta animantia vinculis ad præsepe ligata innocuum pecorum gregem securum reddunt nec sibi nec aliis infortunium in tentantia; soluta ve-

ro se;

rò sequioribus vim non semel
 inferunt, gregemq̄ composi-
 tum feritate sua turbant: Ita
 societas humana justitiæ vin-
 culo colligata multorum viro-
 rum ætatem integra durat,
 floret: rupto hóc in partes
 multas finditur, hominesq̄
 ferarum ritu vagantur, hostes
 capitibus aliorum ipsi non sim-
 plici sæpe morte funguntur.
 Hinc gentes etiam barbaræ om-
 ni mundi ætate plurimum
 Justitiæ tribuerunt. Æthiopes
 virtutibus artibusq̄ optimis a-
 lias rudes Justitiæ gnauiter stu-
 debant, ideoq̄ ædes ipsorum
 januis ferisq̄ carebant: cum-
 que rebus ipsorum quasi nul-
 lius viæ passim stratae essent,
 nulli tamen quàm legitimo Do-
 mino cedebant, porrectis à ne-
 mine

mine ad res alienas manibus.
 Plura Justitiæ exercitiæ exem-
 pla memorare supervacane-
 um est, præstatq̄ audire opi-
 nionem Dionisii Haliracnassei
 de Justitia scribentis: ob Justi-
 tiam homines se minus læden-
 tes, & magis sunt concordēs,
 & felicitatem non scēdissimis
 voluptatibus, sed felicitate me-
 titiuntur. Agefilaus Justitiam
 solebat omnium virtutum præ-
 stantissimam dicere, sine qua
 fortitudo nullius sit pretii.
 Cum eodem sensit etiam Am-
 mianus Marcellinus, excel-
 lentissimam virtutum omni-
 um Justitiam appellans. In
 eodem vel majori adhuc ho-
 nore Justitia apud nos christia-
 nismi legibus imbutos, quàm
 apud gentiles esse debet, si Rei-
 publi-

publicæ nostræ auctoritatem ac integritatem inviolatam esse velimus, qualem votis omnibus exopto. Sed vehementer doleo, cum in ea accidisse aliquid intelligo, quod Justitiæ severitatem requirit. Id cujusmodi sit, ut intelligamus, dic Tu Advocate Fisci, qui accusatorem hic agis, & ad hoc Tribunal nos convocasti. Facta post Te Indicibus & reo sit copia dicendi, ut Justitia rite administrari possit.

ORATIO III. ACCUSATORIA

in qua

Georgius Eberhard de Heydersdorff Præfectus Heidelbergæ de Perduellione arguitur, & justitia imploratur,
reci-

recitata à

JOHANNE KRÜGERO Dorpatens.

Reverendissime ac Serenissime Ordinis Teutonici Magister, Præses Concilii æquissime, Assessores itidem Illustres.

Dum vestros il-

los vultus intueor perturbatos sanè & indignatione quadam confusos, nullus dubito; quin animos vestros dei illius, (utinam nunquam memorandi!) subeat recordatio, quo hic reus, cujus tutelæ Elector Palatinus Heidelbergam urbem celeberrimam, quâ vix antiquior reperitur, credidit: quam Ille subjugum Gallicum, excindendamq; tradere

dere non erubuit. Et si mihi de vestrorum animorum sensu augurari licet? adhuc mihi videre videmini exultū, direptum, eversum, fumansq; celeberrimæ quondam, nunc eheu! calamitosissimæ urbis cadaver, omnium civium tristitiam & nescias teneri lachrymas: concurrentes ac complorantes matronas, matresq; manu parvos trahentes liberos; omnes omnium civium homines facinus indignissimum detestantes, pœnamq; ac vindictam reposcentes. At dum ea cogitatis perfodere vestros animos possit: tum excitare omnium subditorum lætitia debet: qui dum animadvertunt, non licere in Imperio Romano Patriæ proditores impu-

impune volitare, inq; Concilio eos homines sedere, qui ultimum scelus impunitum relinquere non possint nec velint. Et hæc causa est, cur ego hodie ad istam aceusandi provinciam consurgam, cum & hoc officii exigere à me Jure quodam suo tristissimæ civitatis querelæ videantur, ex eo saltem solatium habituræ, quòd delicta impunita non manent, & fidem Serenissimo Electori juratam pertinaci accusatione probare jubeam. Sed vestrum est, Æquissimi Judices, in quorum æquitate summa omnium spes sita est, forti esse in hac causa animo, &, qua par est, constantiâ judicare: nihilque hujus rei dignitati tribuere; ut omnes intelligant, videant-

deantq; nihil ibi infestam dignitatem posse, ubi iudiciorum severa animadversio facinororum licentiam suppliciiis debitis coërcet. Quamvis autem universam ignorare rem non possitis, eam tamen sicut gesta est, vobis, quoniam audire parati estis, ordine exponam.

Heidelberga, cujus recordatio haud sine lacrimis mentem subit, Metropolis ac sedes Serenissimi Electoris Palatini, urbs arte & natura munitissima, in primis arce in edito monte sita, antiquitate, Bibliotheca selecta, Academia, templisq; celeberrima, adeoq; optimarum virtutum, scientiarumq; officina, granariis & armamentariis instructissima
popu-

populosissima, ditissima. In hanc totius Palatinatûs, in quo ingens frugum & vini modus nascitur, opes congesterant incolæ: aurum, argentum, frumentumq; cumulatatum erat: vestis ingens modus: suppellex non ad usum modo, sed ostentationem luxus comparata; ita ut urbis hujus divitiæ multas alias vincerent. Hanc Hannibal ille Gallicus convocatos copiarum Duces infestam rebus Gallicis esse docuit duobus abhinc annis. Hanc victorias suas à Germanis accipiendas solam morari posse immensis agminibus infusus: hanc Philipsburgo aliisque Gallorum munimentis impia bella illaturam; adeoq; excidio ejusdem parentan-

tandum esse majoribus. Quapropter copias undiquaque ex hybernis maturè, eâ quâ par erat, celeritate contrahi iussit: exercitum, quem immensa pene planities vix caperet, comparavit: equos, arma distribuit: commeatus & instrumenta martia, ne tantæ multitudini deessent, providit. Hunc in modum armatum & instructum exercitum igne velocius trajecto Rheno urbi securæ admovit, eamque se defendere paratam obsidione gravissima cinxit. Urbs igitur per tubicinem ad deditiorem, sed frustra invitata, circumvallatione clauditur, ne egressus ingressusque pateret, coronâ cingitur: clausa circumvallationis lineâ strenuè oppugnatur.

tur: valla è suggestibus tormentariis tumultuario opere erectis labefactantur, quatiuntur ferreis globis ex obsidionibus, sive muralibus tormentis excussis: producuntur operum appropinquationes sinuato itinere ad declinandum obsessorum globos, viamque assultui per murorum ruinas faciendam: injiciuntur ad incendenda tecta pyroboli, maleoli, ignita missilia, sphaeræ punicæ variis ferramentis fartæ & factæ: & ne quicquam non excogitatur ad redigendū circumfessos in angustias ultimas. Nilominus Heidelbergenses exemplo præsidii, inito defendendi urbem consilio, Deo, causæ optimæ, & virtuti suæ confisi, obsidionem forti animo pa-

M

mo pa-

mo pati decreverunt, ad ultimum pro fide & patria morturi, si Dux Badensis in campis Heilbrunnensibus castrametatus auxilia promissa mittere dubitaret. Igitur bello decreto, nihil intentatum ad defendendum sese relinquunt: per valla, muros, turresq; tormenta disponunt, arma junioribus dividunt, opificesq; quorum copia urbs abundabat, in officinas distribuunt: omnia belli apparatu strepunt: ferrea quoq; manus operibus hostium injiciendæ, corviq; & aliæ tuendæ urbi excogitata præparantur, necessitate imminente, quæ efficacior omni arte, non usitata modo præsidia, sed quædam nova etiam ad-morurâ. Interea discrimen in oculis

oculis erat. Hostes acriter urbem oppugnare, obsesi haud dispari animo & fortuna propugnare cæperunt, & corpora pro charissimis pignoribus opposuere, intrepide quicquid fors ferret laturo. Prima ergo obsidionis die pari fortuna utrinq; dimicatum est; altera verò cum hostis urgere obsesos non desisteret, Hic Præsidii & Urbis Præfectus præmunitiones metu an astu, nulla tamen urgente necessitate, deserri iussit renitentibus subpræfectis bellandi arte haud quam rudibus. Tum hostes haud morâ non valla modo deserta occupant, sed magno impetu cum recedentibus in urbem irrumpunt frustra renitentibus viris fortissimis tandem

dem fugâ in arcem ablati-
 Sic Urbs & vetustate originis &
 crebra varietate fortunæ in me-
 moriam posteritatis insignis
 secundo die quàm oppugnari
 cepta erat, capta est. Jam nul-
 la facies mali deerat. Cives
 tot simul malis victi, alii suppli-
 ces in cænobia confugiebant;
 alii foribus ædium obseratis oc-
 cupabant forte liberum mortis
 arbitrium: nonnulli ruebant
 in hostem haut in ultè tamen
 perituri: magna pars summa
 tectorum obtinebat, saxa &
 quicquid fors manibus dede-
 rat, ingerens subeuntibus: ma-
 tres cum liberis in vestibulo æ-
 dium suarum stabant parata
 sævientibus turba. Urbs omni-
 quidem opulenta dives, sive
 vi, sive dolo, expugnata diripie-
 batur;

batur. Inter ipsos victores fer-
 ro dimicabatur, pro hoste e-
 rat, qui pretiosorem occupa-
 verat prædam. Et cum omnia,
 quæ reperiabantur, capere non
 possent prædantes, lacerabant
 pretiosas vestes, ad se quisq;
 partem trahentes. Cumq; in-
 gens auri argentiq; pondus,
 non belli, sed luxuriæ apparâ-
 tum distraherent milites, cum-
 que plus raperent, quàm cape-
 re possent, passim strata erant
 itinera vilioribus sarcinis, quas
 in comparatione meliorum a-
 varitia contempserat. Fœmi-
 nis non ætate modo, sed & for-
 mæ pulchritudine venerabili-
 bus, quo chariora ornamenta
 erant, violentius detraheban-
 tur, nec corporibus quidem vis
 ac libido parcebat. Omnia

planctu tumultuq; , prout cuiq;
 fors erat , urbem repleverant,
 & per omnes ordines atatesq;
 victoris crudelitas ac licentia
 vagabatur. Ne sepulchra qui-
 dem Principum gloriosissimo-
 rum intacta mansere , stratis per
 plateas corporum reliquiis,
 urnas avaritia rapuit. Adulti-
 mum elapsis viginti quatuor ho-
 rarum induciis, non ad quietem vel
 pacem, sed depopulationi da-
 tis, urbi undiq; subiecere flam-
 mas civesq; sex mille corpori-
 bus nudatis & maxima mem-
 brorum parte mutilatos, lace-
 ratos, triste obsessis spectacu-
 lum in arcem compulere, haud
 dubie, ut statu suo omnibus,
 nisi hostibus miserabili & sup-
 plici voce, praesidium quoq; ar-
 cis ad deditionem compelle-
 rent.

rent. Igitur desperata arcis
 tutelâ, Praefectus hic tot milli-
 um precibus motus, se arcem-
 que pacificâ deditione hosti
 submitit, hac cum conditione,
 ut praesidiariis ritu militari, ci-
 vibus verò cum eo, quod lacer-
 tis trepidantibus ferre possent,
 abire liceret. Acceptis igitur
 conditionibus istis, quotquot
 victorum rabies non sustulerat,
 metus non extinxerat, urbe
 patria & arce Electorali cede-
 re iussi, Haylbrunum se rece-
 perunt, quorum agmen centum
 & quinquaginta Galliei milites
 claudabant. Qui verò cænobi-
 um Capucinorum se servan-
 di gratia occupaverant, peco-
 rum modo in captivitatem ab-
 aris acti sunt: cænobium lon-
 gè celeberrimum cum arce in-
 signi

signi paria cum urbe fata habuerunt, ruinis & ignibus brevi post deleta, funditus everfa; ita ut urbis tantæ vestigium jam non inveniretur, nisi Nectarus amnis ostenderet. Multum in hac expugnatione generosi sanguinis ex parte obsessorum, parum ex parte Gallorum fufum: quòd illi metu exsangves nec arma capere potuerint; his verò fortuna meliori tumidis impunè in percussos grassari licuerit. Tantulo impendio ingens victoria stetit: urbs celeberrima capta, spoliata, direpta, excisa est! Tot millia infantium civium in casum omnibus miserabilem unius ob Præfecti bellandi imperitiam & metum tracta sunt! Adfunt patria ex-

torres

torres, faucii, miseri omnes ex urbe tota cives, auctorem perditæ salutis requirunt, facinus indignissimum damnant, Justitiam implorant, libertatem amissam clamant, vindictam reposcunt. Hæc quemadmodum ordine cuncta exposui, ita gesta esse ex præsentibus Indicibus tot malorum sociis discere potestis. Nunc illud à vobis iudices Illustres contendo. Considerate miseram tot civium sortem: considerate urbis tantæ amissionem, excidium: considerate tot fortium virorum mortes non simplices, fiet profecto; ut quid iudicare hæc in causa debetis, facile intelligatis.

Nolite autem ad Rei hujus defensionem forte speciosam

M5

atten-

attendere; multominus dignitatem ejus, cujus se indignum fecit, æstimare: quæ si valere aliquid hîc deberet, extemplo hinc recederem; cum reum hunc absolvere nihil aliud foret, quàm malefanorum hominum libidini ac furori civium optimorum vitam & bona objicere.

Verum siquidem de vestra justitia benè sperare jubeor, contendam id à vobis postulare, ut gravissimo proditorem patriæ hunc supplicio affici jubeatis. Factum liquet, prohibere Deum! at hæc apud omnes gentes lex est, non hominum consilio lata, sed naturæ instinctu cordibus impressa, eos qui patriam & urbes fidelitati suæ creditas temere & de industria per-

perdunt, imperia Principum non, aut segnius quam decet, exsequuntur, lucem intueri fas non esse. Equidem si copiarum ducibus ac urbium Præfectis spreto Principum jussu pro libidine urbes deserere & tradere liceret, quot tandem urbes tutæ, quot Principum capita à vitæ discrimine securæ essent? Fieri posset, ut fortalitia arte & natura munitissima Præfectorum negligentia & imperitia sub specie causæ factæ in hostiū manū devenirent. At quid tandem ejusmodi à reo isto fingi potest? annon Heidelberg a ferendæ obsidioni sufficiebat? omnino par fuit: an milites civesq; arma capere detrectarunt? omnino parati fuerunt pro aris & focis

mortem oppetere, & sanguine suo urbis mœnia aspergere. An de auxilio ferendo desperare potuit? minimè: spem enim certam liberationis Illustrissimus atq; Fortissimus Dux Badensis literis fecit. An metu officium neglectum excusare poterit? Profectò nunquàm metus importunus apud quos Judices in criminis excusationem adfertur. Fortium virorum est, non timere mortem, multo minùs periculum. Illinc ergo, quod Eques Ordinis Teutonici est, ac de re publica bene quondam meritis ignoscendum est? ô scilicet optimè meritum! qui Reipublicæ salutem temerè perdit: qui miserorum civium sanguine innocentissimo urbem non liberat,

liberat, sed turpiter dedit. Adhuc ne aliquid deest? Nihil est. Causam judices intellexistis: Heidelbergâ tradita est hosti. Justitiam omnes petunt. Igitur id vos præstabit, quod à vestra integritate & æquitate omnes expectant. Id facite Judices & hominis unius infidelis sanguine libertatem, salutem, solatium & securitatem sancitote.

DIXI.

ORATIO IV.

habita à

REINHOLDO JOHANNE Schlippenbach Nob. Livon. Sub persona Vigiliarum Præfecti arma reum deponere jubentis.

M7

Nosti

NOsti, mi Do-
mine Præfecte, more
veterum usitato, non licere
accusato coram Concilio bel-
lico latere armato causam di-
cere: mearumq; esse partium
arma magnorum virorum ad
eventum usq; litis sub custodia
asservare. Itaq; haud grava-
tè gladio discingeris, donec
iudicio liberaberis.

DIXI.

ORATIO V.

dicta ab

HENRICO HINTZE, Riga Livon.
Sub persona Capitanei amis-
sæ urbis culpam Præfecto
imputantis.

Conci-

Concilium Illu-
stre! Omnino res peri-
culo non vocat cum adver-
sus illum, cujus imperio &
nutui de industria carere
solutus fui, cujusq; sub si-
gnis diu haud impigrè milita-
vi, & de me bene meritum ver-
ba facere jubeor. Verum Cæ-
sarea Majestas, cui juramento
fidelitatis & omnimodæ obe-
dientiæ adstrictus sum; cui sa-
lutem & vitam meam debeo,
invidiam indicio meo apud
Præfectum meum contrahen-
dam vincit, imperatq; id quod
in comperto est, palam hic
dicere. Sic omnino est, ut
prolixè relatum audivistis. In-
felix illa Heidelbergæ, secun-
do jam à jurato Imperii nostri
Roma-

Romani hostes oppugnare cæpit, postquam urbem coronacinxisset. Sed in viros primo intuitu, non in imbelles faminas se incidisse sentiebat, cum par animo suo periculum videret. Nam cum prima obfidionis die ingentibus reboantium tormentorum globis propugnacula & valla, majori tamen conatu, quam effectu, labefactare occiperet, haud minori alacritate eidem à nobis obviam itum est; ita, ut licet totius vis Galliæ conspirare in nos videretur, armis virisque campi Heidelbergenses toti quanti complerentur; tamē causam nostram optimam invictos nos præstiturā crederemus. Maximum sanē impetum in opus stellatum, cui tuen-

tuendo ego præfectus fueram, fecit; sed invicta commilitonum meorum virtus conamen ejus irritum fecit; ita, ut ne latum quidem unguem à loco recesserimus. Eadem quoque fortunā omnium turmarum nostrarum res gerebatur. Verum cum alterā die captis alacriter instandum, & vis vi repellenda esset, jussu Præfecti nostri, cui obedire necesse est, nolentes volentes loca nostra haud causa deseruimus in urbē recessuri. Hostis autem cognito recessu nostro, quantā potuit celeritate nos insecutus eadem quam recessu paravimus viā, nobiscum in urbem penetravit: strictis gladiis & explosis bombardis tergis nostris inhaesit, nosque in arcem ultimum refu-

refugium multis vulneribus
 inflictis compulit: quæ paulo
 post etiam pactitia deditio-
 ne sub jugum missa, jam eheu! in
 cineres redacta, & solo æquata
 dicitur. Cujus culpa igitur
 Imperium R. & Elector Pala-
 tinus tantum damnum acce-
 perit, non meum, quam ve-
 strum Judices erit judicare. E-
 go interea bona conscientia
 fretus de benevolentia vestra
 certus, damnum, quod in hoc
 discrimine corporis & bono-
 rum passus sum viam mihi pa-
 raturum ad altioris digni-
 tatis gradum, persuasissim-
 us sum. DIXI.

 ORATIO VI.

recitata à

CHRISTIANO SINGELMAN Dorpat.
 Sub

Sub persona Supremi Ducis
 Vicarii omiffam Heidelbergæ
 propugnationem Præfecti
 imperio imputantis.

Judices Æquis-
 simi. Prolixè fatis, quic-
 quid in obsidione & deditio-
 ne Heidelbergæ actum, in-
 tellexistis, & supervacaneum
 esse reor crambem bis coctam
 repetere. Adeoq; dictis hoc
 tantum addo: omnia eo ordi-
 ne, quo gesta sunt, vere & re-
 ctè recensita esse. Horum o-
 mnium præter innumeros ali-
 ostestis oculatus ego sum. Te-
 stes etiam esse possent, nisi pu-
 dor vetaret nudato corpore
 vestris venerabilibus oculis o-
 stendere, vulnera cute non-
 dum

dum obducta: quæ haud impune quidem accepi, dum hoc ferro, dextrâ istâ per medios hostes viam mihi feci: dumq[ue] ex porta, ut dicitur, Spirensis, quæ meæ tutelæ commissâ haud paucos globorum ictu prostravi, occidi. Non igitur doleo vices meas, quoniam cicatrices meas non abjecti sed magni animi testes, non gratuitas fore, sed Clementissimum Dominum meum vobis urgentibus egregiam gratiam iisdem relaturum, spero; verum fata tristia & dura Heidelbergensium civium doleo, vices incolarum Palatinatûs maximam partem vastati: doleo sortem in captivitatem ductorum durissimam, qui solamen & levamen à vobis
 expe-

expectant, & haud dubie accipient.

DIXI.

ORATIO VII. DEFENSIVA
 Præfecti Heidelbergensis Equitis S. Johannis.

habita ab

HENRICO HAKELMAN Revaliens.

HAud quaquam
 ita destitutus animo fui, Concilium Illustrissimum; ut Judicium quaecumq[ue] reformidarem. Horreantilli, qui mala conscientia anguntur, Ego vestram sententiam lubens & intrepidus expectabo. Quod si Legum rudis, & artibus militaribus imperita multitudo ista, statuere de vita mea
 debe-

deberet, malle[m] profectò honesta morte aliqua sententiam prævenire; & hic in conspectu omnium mihi vitam quocunq[ue] modo adimere; quam iniquissimam furibundæ plebis sententiam expectare. Verum cum coram Vobis, Prudentissimi Judices, causam dicere jubeor: qui & rationem habere meritorũ uniuscujusque, & eos quorum providentiã & auxilio civitates defensionis aptæ incolumes stant servare: aliquid etiam humanæ fragilitati indulgere, nostis; magno ad defensionem meam animo, pace tamen vestrâ, accedam. Et quanquam accusati hominis non supervacanea solum, sed invisa etiam defensio est, quã Judicem non doce-

docere videtur, sed arguere; tamẽ ut cumq[ue] licet dicere, met ipse non deferam; nec committam, ut damnatus etiam mea sententia videar. In antecessum autem rogo vos & obtestor; ut quoniam non ea dicendi peritia proditus sum quam accusator reformidare videtur: ejus vos defectum vestra judicandi dexteritate & sapientia supplere velitis: eaq[ue] mente vestra volvere, revolvere, quæ vobis debito modo explicare non valeo. Non enim in foro hætenus vixi, sed castra secutus sum: non inter litigantium rixas & altercationes; sed pro patria & religione adversus hostes armatos militando maximam ætatis partem traduxi: non lingua-

rum acie, sed ferro in acie publicæ rei salutis vincere didici. Longam equidem & artificiosam sanè peritus dicendi accusator apud vos concionem habuit: credo, ut cum vincere justitia causæ desperaret, orationis elegantiam superaret. Supervacaneum erat tantis verborum ambagibus aures vestros onerare, & indicibus quibusdam fidem vobis facere. Heidelbergam celebritate paucis urbibus secundam, tot fortunæ varietatibus celebrem à Gallis obsessam, armatam manu captam, crudeli excisam; arcem verò à me traditam esse nemo ignorat; reum me omnes agnoscunt. At verò designandi aliquid optima causa; imò durum telum necessitas;

fitas, quæ ante rationem est. Quæ cum mihi etiam non svaferit, invito imposuerit dedicationem, verè quicquid à me designatum est, defendam.

Veram, Judices benignissimi, eamque gravissimam urbis obsidionem Accusator animis vestris repræsentavit; necessitatem vero obsessorum, quæ forsitan nescivit, vel scire noluit, ne me defenderet, callidè tacuit: eam ipsam verò mihi ejusdem pergnaro sine fūco exponere haud dubie fas erit. Scilicet postquam Heidelbergam à Gallis semel deserta Domino iterum suo ac libertati restituta perpetuam sibi pacem polliceretur, & metu omnium periculi soluta maximam præsidii partem dimitteret;

N

Galli

Galli non aptiorem sibi occa-
sionem recipiendi urbem ob-
latam rati, exercitum famu-
locutiū ex hybernis coactum
cursus magis quā itineris
modo urbi admovent, & cor-
ona eam cingant. Unde tota
urbe terribilis illa vox, quā vi-
ctor domitorq; gentium por-
pulus, armis viriūsq; potens La-
tium, urbiumq; regina ac Do-
mina Roma perculsa toties,
Hannibal ad Portas! audiebat-
tur: audiebatur inquam ear-
dem, eheu! quæ in Italia olim
iterum iterumq; audita, nunc
in Palatinatu, nec sine animi
stupore vox admodum gravi-
ter sonans, Hannibal ad Por-
tas. Ad portas non urbis qui-
dem Romæ, sed Romani Im-
perii nostri. Hannibalem e-

nim

nim non Pœnum intelligo qui
dudum.

*non lata morte Tyrannus
Ad Cereris Generum descendit
regnaq; ditis.*

Sed Gallum, Gallū inquam ger-
manici nominis hostem: qui ut
alter quidam Hannibal ingen-
tem communi patriæ nostræ
Jam per plures annos terrorem
fui nominis longè lateq; cir-
cumtulit, & tot pene cladibus,
quot Hannibal olim Romanos,
affecit, naturā ingenio, mori-
busq; per omnia eidem par,
viva ejus imago. Quis enim
nostrum dubitat Gallos uni-
versos ac singulos implacabili
odio ardere adversus Germa-
nos? Plusquam vatinianum
fanè & capitale odium est, quò
tam diris modis adversus nos

N2

hodie

hodie Gallus fertur, & infl
 xisse jam pridem solo pedem
 ac suscitato pulvere, tum de
 mum finem belli hujus Ger
 manicifore, dixisse cum Han
 nibale videatur, quum Ger
 mania in habitum pulveris re
 data fuerit. Gemina perfidi
 dia, crudelitatis, impietatis
 levitatis Hannibalicæ in Gall
 exempla ubiq; prostant. Al
 quantam maximam vastit
 tem cædibus incendiisq; pro
 cul ubiq; Gallus ostendit? o
 stendit utiq; vastando omnia
 ostendit urendo, cædendo, de
 minationem ipsius nihil
 liud esse, nisi vastitatem in tot
 Imperio R. facere? Prætere
 quàm audaces, quàm celere
 quàm prompti ad audendum
 quodvis sunt Galli? Etenim

prius

priusquam consultant Germa
 ni, quâ commodè viâ aggre
 dianur hostem, illi non semel
 sed bis terve nostras copias sunt
 aggressi. Adhæc more Han
 niballico emittit Gallus in ca
 stra exercituum nostrorum, in
 urbes, in aulas Principum, imò
 in ipsam aulam Cæsaream co
 rycæos atq; ære emptos Ger
 mania proditores, explorato
 res; ut illorum ope & operâ
 ipsi omnia nostra, haud secus
 ac sua pateant, quasi fortunam
 nostram in consilio haberet.
 Talis hic hostis audacia, mali
 tia, celeritate Hanniballica ad
 oppugnandum paratus in nos
 suo commodò ad propugnand
 dum non sufficientes incidit.
 Hic animo, hic consilio opus
 erat. Diu animo in diversa a-

N3

ctô

Etô consilium agitavi defendendi omnia urbis propugnacula. Verum cum omnia intentiore curâ in castris hostilibus præparari sollicitudo Præfectorum agmina interequitantium ostenderet, fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, sollicitam expectationem mentem turbaret; vasta operum nostrorum amplitudo longe majorem præfidiariorum numerum posceret, paucitate meorum territô aliud rapiendum erat. consilium. Necessitas igitur, quæ anterrationem est, ultimum suppeditavit medium retrahendi militem; ut vis unita fortiùs resistere oppugnaturis posset, donec auxiliû a Duce Badenense promissum

missum appropinquaret, & hostem à nobis in se averteret, atq; obsidionē victor solveret. At recessu nostrorum cognitô, hostis nihil moratus recedentes sequi, cum iisdem in urbem penetravit, frustra tantæ multitudini paucitate resistente. Captâ urbe ad arcem ventum est, quæ duplici, imò multiplici malo premebatur. Extrinsecus hostis munimentis ruinam, obsessis mortem tormentorum admotione minabatur: intrinsecus seditio metuebatur: nam sex millia civium, quæ ad deditioem meprecibus, lacrymis, vel etiam minis compellerent intrusa erant: adeoq; desperatâ arcis tutelâ vitam quâ nihil charius tot fortium virorum, totq; gemen-

mentium civium servandam esse putavi, quam tamen ad ultimum defendendo arcem omnes mecum perdere necesse habuissent. Perdere igitur mælii arcem, quæ recuperanda & restauranda, quam vitam nunquam recipiendam. Nec alio modo res nostræ geri poterant. Evolvamus paulisper Annales! consulamus hebdomadarias relationes: sæpius hanc urbem & arcem obsidione pressam sæpius deditione captam, semel præsidio Sveconno virtute ac felicitate Præfecti Abelis Modæ Chiliarchæ strenuissimi, bellicosissimi, servatam; semper recuperatam, nunquam verò traditæ urbis causa accusatum aut supplicio damnatū aliquē legemus: sed in

recen-

recenti adhuc memoria versatur, Reverendissimum Ordinis Magistrum pie defunctum anno abhinc quarto, non lato quidem impetu hostium primo ejusdem deditorem fecisse. Et cur mihi non licuisset eandem tot ac tantas interea ruinas passam, ut & obsessorum infantium vitam pacifica deditione redimere? Ego vos testes appello, quotquot hic estis arbitri & spectatores! Egone ferre debui ad ultimum obsidionem, quam nemo ante me vel leviolem forti animo passus est? Egone vitam meam, tot militum, totq; civium perdere debui, quam servare publicæ rei potui? Egone mœnia pyroclastris, cuniculis, libratibus è balistâ saxis, globisq;

è muralibus tormentis excus-
 sis labefactata defendere debui-
 quæ integra & firma hostibus
 alii cesserunt? Egone suppli-
 cium patiar illius causa, quod
 in aliis instar prudentiæ lauda-
 tum fuit? Per me quidem li-
 cet; nec tanti hæc vita mihi
 est: de me supplicium suma-
 tur, si quicquam officio meo in-
 dignum designare potui. Fe-
 ci autem, Judices, quod omnes
 in præsentissimo discrimine
 fecissent. Si verò audire no-
 litis causas haud sanè leves,
 quæ deditionem decernere me
 compulerunt, ut quis ipse sim,
 tamen videte. Non ego ex
 illo, hominum infimorum,
 sed Nobilium ordine ac genere
 sanguinis originem traho,
 quos, quæ bene constitutæ

Respu:

Respublicæ fuerunt, servare
 quam perdere maluerunt:
 quòd fideliores reipublicæ,
 quòd ubiq; generosiores, quòd
 ad patriæ defensionem alacri-
 ores, promptioresq;. Et ego
 in hoc Imperio generoso Ma-
 jorum sanguine oriundus, ac
 tot nobilissimi splendoris titulis
 ornatus ad supplicium depo-
 scor! & hæc vita mea cum
 dirutis toties mœnibus com-
 paratur? Quod si verò me mea
 Nobilitas, meum dignitatis fa-
 stigium, ad quod benevolen-
 tia vestra & mea virtute, (quod
 tamen sine jactantia dico) a-
 scendi, tueri apud vos nequit;
 tueri tamen tot ac tanta mea
 in Respublicam istam meri-
 ta debent. Recordamini, ob-
 scro! quoties meo ac hostium

N6

sangvi-

sanguine tinctus ex acie sum
 reversus? quoties tot illa vul-
 nera mea vobis salutaria ve-
 strismet oculis vidistis? quoti-
 es gratuitas cicatrices ex præ-
 lio domum tuli? quoties Du-
 ces pectore meo protexi, hâc
 dextrâ defendi? quoties cor-
 pus, hoc meum pro patria ista
 hostibus opposui? quoties
 Christiani nominis inimicos
 juratos parva manu fugavi?
 quoties catholicæ religionis
 confessores barbaris eripui?
 Servatus tamen sum Providen-
 tiâ divina tot inter discrimina
 rerum; & nunc extra discrimi-
 nen in maximo vitæ discrimi-
 ne versor! Malletem ante ho-
 stem crudelissimum honestâ
 morte occubuissem, quàm
 nunc injuriam ab amicis pati.
 Sed

Sed jam plura dici non atti-
 net, & vox faucibus hæret.
 Causam, ne me deseruisse vi-
 dear, dixi. Sententiam à vo-
 bis expectabo. Me tamen pro
 patria tot exantlavisse labores,
 tot tulisse mala nunquam pœ-
 nitebit. Condemnate, si in-
 grati esse vultis; trahite ad
 supplicium, si servatorem ve-
 strum odistis; mactate si cru-
 deles esse vultis, nunquam sa-
 ne, nunquam me bene
 vobis fecisse pœ-
 nitebit.

DIXI.

ORATIO VIII.

quâ
 Magister Ordinis Teutonici
 Commissariorum suffragia
 exposcit,

N7

habita

habita ab

ERICO BARTOLDO GUMMERT
Dorpatens.

ABunde procul

dubio miserabiles omnibus Heidelbergæ vices quam invitis auribus percepistis: Percepistis querelas adversus auctorem urbis traditæ ex Accusatore: percepistis Indicum fide dignorum eloquia: percepistis etiam orationem apologeticam ex reo, illis factum ut nefandum improbantibus; hōc ut egregium & necessarium approbante. Dicta est ab illis causa, à vobis, ut arbitror intellecta. Itaq; cum reum fatentem habeamus, concilium in posterum diem differre opus non est, nec verita-

ritatem ritu Germanorum solito tormentis exprimere. Certiora equidem habentur, quæ extra, quam quæ in tormentis à reo dicuntur; imò ne pro veris quidem habentur, quæ per ultimos cruciatus extorquentur, nisi post adhibitum cruciatibus modum constanter quæque à confessis assèrantur. Ad hæc anceps conjectura est: verone an mendacio criminis accusati, dum hinc ignis, illinc verbera sæpe non ad quæstionem, sed ad pœnam ingeruntur, liberare se à cruciatu contendant? Quoniam & vera confessis & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur. Et credo reum nostrum, si tortores in conspectum ejus omnia crudelitatis tormenta pro-

proponerent; eum per ultimos cruciatus lacerarent, & flagellorum ictus nudis ossibus incuterent, corporis membra instar funis intenderent; non aliter ordinem facinoris exponiturum, quàm coram Concilio jam sponte sua recitavit. Sed dicetis forsan: aliquem agitati consilii scelesti conscium sub suâ umbra latere patietur? verum de se confessus minime alium subtrahet. Maligna enim calamitas & verè noxia, cum quis suo supplicio acquiescit. Uti nemo parcat morituro, ita nec cuiquam moriturus, ut opinor. Laudaret potius palam aliorum quoque ut suum conatum reus quàm occultaret, si complices facinoris quosdam haberet.

Quam-

Quamobrem missâ quæstione nihil reliquum est, quàm ut cognita causa vel reo ignoscamus; vel palam fontem sine indignatione totius exercitûs damnemus. Excussio igitur omni affectu, Commissarii, qui ad dextrè judicandum concilio adhibiti est, quid sentiat, dicite.

ORATIO IX.

Sub persona Commissarii
Reum ex L. Julia ad supplicium damnantis

habitâ à

JOHANNE OLRAU Dorpatens.

GRave fanè Judicis officium est, quod Dei justissimi severè injustitiam vindicantis simulacrum est: quem

quem vel vice referre, vel proximè consequi oportet. Summus autem hic Judex, qui ipsa Justitia est, quam justè judicet, ab incunabulis mundi ad hunc usq; temporis articulum, omnes qui sub judicii ipsius, & Legum potestatem cadunt, vel me tacente experti sunt: qui omnis prosopolepsiæ expers omnia & singula delicta in omnibus & singulis severè punit; virtutes præmiis benignè onerat. Hujus, suæ Justitiæ sanctissimæ exemplar in Magistratum transtulit: & quoniam homines, ut magnus ille stagiræ alumnus in Ethicis ad Nicomachum prolixè disse- rit, usû & experientia rerum agendarum notanter destituntur, ita ut non possint de præ-

præceptis Ethicis rectè judicare, neq; etiam ob animi perturbationes atq; affectus, quibuscum assidue luctantur, ea quæ præcipiuntur in usum quotidianum transferre; ecce supremus ille Nomotheta & Judex imbecillitati hominum succurrere voluit: dum Justitiæ & sapientiæ suæ rationem sanctissimamq; voluntatem per Leges non Solonis, Lycurgi; non Zaleuci aut Draconis; Charondæ aut similium Legislatorum sanguine, prælo vel stylo scriptas; verum immutabiles cordibus hominum insitas & sacris foliis consignatas jam olim declaravit, manifestavit; ut sint norma rerum judicandarum Magistratui, qui operas Dei vicarias præstat: con-

conscientias hominum ad præstanda obsequia, ad poenam æquo animo ferendam si secus fecerint, obligans: ad quam pariter ac ad aram confugiunt injuriâ affecti. Verum quotus quisq; hominum non humani quid patitur? quis hominum non gravem judicii eclipsin patitur? quis hominum encyclopodiam, hoc est orbem doctrinæ, sive consensus & concentum ingenio capit? quis Judicium debitè facit ea, quæ ut judicij faciendâ incumbunt? quis est vir bonus, & disceptandarum litium per omnia gnarus, quis diciturum illud Senecæ in Med. vel novit, vel observat:

Si judicas cognosce; si regnas jube.

Qui statuit aliquid parte in audita alterâ,

Æquus

Æquum licet statuerit, haud æquus est

Multi Legum custodiam nullam habent, cum tamen ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege partibus suis, ut nervis ac sanguine & membris, uti non potest. Quapropter Imperator noster Invictus atq; Piissimus Legum observantiam & executionem strenuè urget. Et ego illius jussu benignissimo Concilio huic bellico adhibitus, non aliter judicaturus sum, quam Legibus & constitutionibus moribusq; proditum est. Litem præsentempensiore judicio trutinanti mihi, ni fallor, nulla causæ hujus ponderanda videntur momenta. Perduellionem à reo urbem tradendo nulla cogen-

te

te necessitate, accusator urget; non simpliciter inficiatur reus. Ex Lege Julia de crimine Læ-
sæ Majestatis pœnam accusa-
tor reposcit; veniam reus de-
precatur. An igitur punien-
dus hic sit, an illi ignoscendum,
hic quæritur? Accusator è re
reipublicæ esse, hominum bar-
baram licentiam coërceri, &
Perduellium supplicio civita-
tum libertatem securitatemq;
fanciri debere contendit: re-
us merita sua in hanc Rem-
publicam non pauca & parva
velut ex altera parte appendit,
& errori suo præponderare di-
cit si meritis conniveamus &
intuitu eorum reo ignosca-
mus, justitiam neglexisse vi-
deri possumus; si pœnam irro-
gemus, merita contempnissse
dice-

dicemur. Res ambigua pru-
dentiâ erit determinanda. Lau-
dare factum, quod factum nol-
lem, non possum; excusare
minimè debeo. Statuenda
ergo Pœna delicti. Nam ubi
rigor est Justitiæ, ibi vigor rei-
publicæ. Cumq; maleficia sint,
quæ Imperia & civitates labe-
factant, evertuntq; tum ea
punire est Rempublicam sar-
tam conservare. Quis erit in-
tra muros fortissimos tutus ac
securus, si Perduelles toleren-
tur? Quæ arces erunt invictæ,
si perduellibus ignoscatur?
Quis possessionibus atq; facul-
tatibus diu gavisurus est, si ho-
stibus haud causa obviam qua-
si mittantur civium opes! Fru-
stra tot erecta patibula, tot cru-
ciatum genera frustra exco-
gita-

gitata erunt, si delicta maneant
impunita? frustra Magistratibus
concessus est gladius in
terrorem malefactorum, si Legum
violatio non suppliciis con-
hibeantur. Florebat olim Res-
publica Spartana, sed crucibus,
gladiis, securibus, omni denique
suppliciorum ac tormentorum
genere. Rudolphus II. glorio-
sissimæ memoriæ, Imperator R.
cognita Canischæ fortalicii
Panoniæ arte & opere muniti
deditione Præfectum ejusdem,
cui Paradyser erat nomen, Vi-
ennam vocari, ibidemque coram
concilio frequentem causam
dicere; eumque licet obsidionem
octiduanam fortiter animo
tulerit, & copiæ cæsareæ ad
solvendam obsidionem in fugam
ab hostibus versæ, capit

capitis supplicio affici iussit,
quod imperio morem non ges-
sit. Cur ergo reo huic igno-
scendum? qui gravius deli-
quit, delictum excusat, merita
jactat, nobilitatis respectum
habendum desiderat. At sapi-
pius ille delinquere poterit,
nos verò non semper ignoscere.
Qui misericordiam consumpserunt,
amplius sperare non possunt.
Et si etiam poenitentia, vel
beneficio nostro victus quiescere
volet, tamen eum inveterata
apud milites autoritate Præ-
fectum scio salutem suam nobis
non debiturum: equidem quædam
beneficia odimus: meruisse mortem
confiteri pudet. Perfidii semper
aliquam fraudi speciem juris
imponunt; at perfidia

fidia nullis meritis mitigari potest: & quo major delinquentis est dignitas, eò gravior delicti gravitas æstimatur. Graviter deliquit reus, dum vix viso hoste, copias non sensit, sed cum multa lux esset, tumultuariè retraxit: hostibusq; viam in urbem ostendit, aperuit. Excusat reus factum, quod malitiòse ac temerè designavit, Dux Badensis literis ad eum datis seriò prohibuit. Jactat merita, quæ delicti gravitas multum præponderat. Nobili deniq; sanguine criminis turpitudinem abluere conatur, quâ seipsum nobili titulo spoliavit, ac indignum reddidit. Adeoq; dissimulandum hic nihil est. Vincenda est pertinorum meritorum, quæ
in

in comparatione facinoris exigua vel nulla sunt, memoria: & puniendus Perduellionis reus atq; convictus secundum legem Juliam. Ut tamen Justitiæ rigorem æquitate temperasse videamur, non dissectione corporis ac distractione membrorum, sed capitis supplicio afficiendum eum esse judico.

ORATIO X.

quâ

Arbiter secundus Rei facinus
multa expiandum confet,
habita à

WILHELMO GUSTAVO Bârgen/
Nob. Liv.

Vix ullus mortali-
um est indole ita sem-
per

perevecta excelsaq; quem non aliquando errare contingat. Magnas virtutes magna sæpe vitia comitantur. Multi etiam Heroës ingentia animi bona: illam indolem, quã omnes antecesserunt; illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisq; velocitatem, in dedito fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permissis quoq; & usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fecerunt, & licentius quàm decebat vixerunt: alii palam cupiditates suas solvunt, continentiamq; & moderationem in altissima quoq; fortuna eminentia bona in superbiam & lasciviam vertunt: patrios mores disciplinamq; salubriter

tem

peratam; & civilem habitum, velut leviora magnitudine sua ducentes par Deorum potentia fastigium æmulantur. Pauci fortunam suam modeste ferre possunt, sed vel eã favente in altũ feruntur, veleã adversã animo linquuntur: adeo ut verius dicatur: Magnorũ virorum sæpe magni errores. Quid mirum igitur? Si Præfatus Heidelbergensis etiam humani aliquid passus. Erravit, culpam confitetur: igiturne vitã privandus? Privandus certè, si justus esse, si legum custodes haberi, si injusitiam & scelestorum facinorum inimici haberi volumus. Non enim justus est, qui justum odit; injustum non odit, qui non punit; non punit, qui non ad supplicium

O3

plicium

plicium criminis scelestireum trahit. Ast idem vitam multis non semel servavit, suo periculo ab aliorum capitibus pericula depulit. Tu Reverendissime Magister eum fortunæ tuæ comitem habuisti: & in statu tuo adverso idem, qui florente te fuit. Secundæ adversæq; res copulavere eum tecum: damnata fide puniçã suam per tot annos inviolatam tibi præstitit. Sed nunc in præcipiti & lubrico stans consilium à præsentî necessitate reperit; desperatâ urbis tutelâ traditionem arcis contra jus fasq; decrevit, servaturus suam & tot infontium vitam. Nihil enim miseris mortalibus spiritu carius est. Amore ejus ad ultima propulsus, ea magis est se-

est secutus, quæ coëgit necessitas, quàm quæ optasset. Præterea natura mortalium hoc quoq; nomine prava & sinistra videtur, quod in suo quisq; negotio hæbetior est, quàm in alieno. Turbida facta sunt consilia eorum qui sibi svadent. Obstat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaverit, amor: unusquisq; quod ipse reperit, aut solum, aut optimum ducit. Hâc excusatione reus satis fecisse nobis videtur. Igiturne servandus! servandus sanè, si grati sumus. Neq; enim minus Republica bonorum præmiis, quàm malorum pœnis florere solet. Quàm multi sunt, qui venalem morte spiritum trahunt, quòd præmium à

Republica expectant. Altius
 tur præmiis virtutes, & qui su-
 sangvinis mercedem videt,
 profundere pro republica non
 reformidat. Sanè id agamus
 cum iusti esse volumus, & non
 ingrati. Ingrati autem vide-
 bimur, si Præfectum eodem fe-
 re nobiscum in honoris fasti-
 gio constitutum, & de republi-
 ca bene meritum unius ob
 consilii errorem perditum iri
 velimus: Qui tamen meruit
 fortibus factis, ut tempori,
 quod deliquisse non inficiatur,
 non animo imputemus. Si e-
 nim consultores, quorum con-
 siliis eventus minus feliciter
 respondet capitis supplicio af-
 ficiendi sunt, quotusquisq; Præ-
 fectorum in absentia Supremi
 Ducis in medium aliquid con-
 sulere

fulere audebit; cum Hanni-
 bal aliquis ad portas nova sub-
 inde consilia excogitare, vete-
 ra mutare cogit. Præterea ob-
 fessi etiam, quibus turbatis a-
 crius metus, quàm Dux impe-
 rare solet, cunctante Præfecto
 celeritate hostium occupabun-
 tur.

Ne igitur Ducibus nostris
 atq; Præfectis omnem consu-
 lendi & decernendi potesta-
 tem suppliciiis gravioribus sus-
 tulisse videamur, summam Ju-
 stitiam, quæ summa injuria au-
 dit, æquitate temperandam es-
 se censeo. Neq; tamen à Ju-
 stitia recedendum esse idcirco
 sentio. In errorem inductus
 est reus noster, perturbatus,
 pene impulsus. Ideo de pu-
 blica re bene meritus ut se ma-

le fecisse sentiat, & sua merita non sine gratia esse intelligat; vitam habeat pro meritis suis; multam sentiat pro delicto. Sparta sua cedat, justitiam agnoscat, reipublicæ vivat, ut suo damno cautiùs deinceps mercari discat. Ita judico.

DIXI.

ORATIO XI.

Continens sententiam Magistris Ordinis Teutonici
dicta ab

ERICO BARTOLDO GUMMERT.

Duces Illustres,
Commissarii Consultissimi. Accuratâ quidem amboprioris iudicii trutina causâ ventilatâ momenta ponderastis. In diversas diversis causis

sis moti abitis sententias. Neutrius tamen in sententiam pace & salvâ authoritate vestra Ego ire possum. Verum ponderatâ criminis atrocitate, ac meritorum ipsius multitudine, ita judico. Vivat reus physicè, moriatur civiliter, ejusque facultates quocumque titulo possideantur, secundum L. Juliam cedant Fisco.

ORATIO XII.

quâ

Magister ordin. Teuton. reum alloquitur, & sententiam audire jubet.

habita ab

ERICO BARTOLDO GUMMERT.

Quemadmodum neminem antiquo
06 Ger-

Germanorū more ac consuetudine, ita nec Te Heydersdorff si indictā causā damnare vel absoluerelicuit. Criminis læsæ Majestatis, quod Icti Perduellionē vocare siveverunt, accusat⁹ purgare quidem facinus officii specie ausus fuisti: & faventem sane habuisses judicem, si quod admitti non oportuit, saltem negari potuisset. Verum non modo indicibus certis, sed propria etiam confessione convictuses; adeoq; Te Perduellionis reum judicamus.

Sed ut Te verè reum esse intelligas, agnoscasq; criminis atrocitatem, quæ nullā excusatione refelli potest, ostendam. Equidem quòd in te Imperator R. & Serenissimus Elector

lector Palatinus tantum cogitavit nefas; ut Tibi Heidelbergæ possessione dignior Rex Gallorum illo ipso videretur: cum tamen spiritus, imò unus vitæ ipsius fructus sit, fortissimis viris & de se optimè meritatis referre gratiam posse? Quæ malum amentia Te coëgit auxilii venturi cognitā famā deditioem tantæ urbis tuæ fidei commissæ hosti crudelissimo ac perfido cedere, illicq; in Germaniæ viscera viam parare? Hæc profecto sunt animi alienati à patria & invidentis gloriæ alterius indicia animo neutiquam premenda. Ultimum supplicium meruisti, qui fortunā belli experiri noluisti, sed imperio Ducis Supremi spreto officii tui oblitus tot civium

salutem ac libertatem tuâ vitâ
vendidisti: militibus quibus
præeras, civibus quos tueri de-
bebas, ad ultimum pro fide
mori promptis, tu arma capere
noluisti, urbem lubens tradi-
disti. Quantum fidei tuæ cre-
didi: caput meum tibi cre-
didi: optimæ exercitus parti
te præfeci: salutem, spem, vi-
ctoriam fidei tutelæque tuæ
commisi, in idem fere fastigi-
um, in quo ipse positus, te ad-
movi: Palatinatum, quô vix
ulla opulentior regio datur,
tot civium sociorumque millia
imperio ditronique tuæ subjeci.
Sed eheu! ovem lupo comisi.
Unde præsidium petieram,
periculum extitit. A mo-
dum brevis tibi beneficio-
rum acceptorum memoria est

est, quam barbari sempiter-
nam esse voluerunt. Adhuc
tamen intuitu dignitatis tibi
veniam polliceris! at quo pro-
pinquiori honoris gradu me
contingis, hoc majus est licen-
tiæ tuæ facinus. Eques ordinis
nostri religiosi hæcenus fuisti,
nunc perfidia tua ejus integri-
tatem foedasti. Sacramento
obstrictus auxilium ferre affli-
ctis debebas, exilium parasti.
Hostes Imperii R. ferro, igne,
persecuturus, juvisti.

Adeoque misericordiam Judi-
cis non meritus, ne detestan-
di facinoris exemplar in miti-
ora quoque ingenia transferas,
pœnas debitas solves. Sen-
tentiam verò Tibi latam à no-
bis non ex privato affectu, sed
dictante Justitiâ, conceptis

verbis in præsentia omnium
ex eo, qui à secretis Concilii
est, audies, illiq; debite
fatis facies.

DIXI.

ORATIO XIII.
SENTENTIA

Reo prælecta à

CAROLO GUSTAVO BROOCMAN,
Livon.

IN causa pro &
contra Georgium Eberhard
de Heydersdorff, hætenus Præ-
fectum Heidelbergensem atq;
Equitem Ordinis Teuton. di-
cta, ponderatis accuratâ pen-
sioris iudicii trutinâ momen-
te à Concilio Generali poscen-
te Iustitiâ in hanc sententiam i-
tum est. Scilicet prænomina-
tus

tus reus, qui voto ordini
Teutonico & militiæ factæ ob-
strictus erat tueri Iustitiam, fer-
re afflictis opem, mori pro pa-
tria; sed jã vialato fidelitatis ac
obedienciæ Sacramento, spre-
toq; Supremi Ducis imperiò
Heidelbergam olim metropo-
lim Serenissimi Electoris Pala-
tini fidei ipsius tutelæq; com-
missam non tantum non adul-
timum defendere noluit; ve-
rùm vix viso hoste commilito-
nes obsidionem forti animo
passuros tumultuariè, cum
multa lux esset, ex propugna-
culis in urbem retraxit, eoq;
viam obsidentibus paravit ad
capiendam urbem, cujus ar-
cem elapso viginti quatuor ho-
rarum spatio hosti pacitiam de-
ditione tradidit. Ergo Per-
duel-

duellionis hic accusatus, certum
Indicum atq; rerum testimonio
convictus, primum Exaltatione,
et oratione, hoc est, armorum
atq; insignium Ordinis Teutonici
privazione: deinde missione
ignominiosa in perpetuum
puniatur à rerum capitalium
censore, bonis ejus omnibus
Fisco acquisitis.

DIXI.

ORATIO XIV.

Equitis ordin. Teutonici sententiam
executi ad Reum

habita à

GERHARDO RIGEMAN Nobil.

LIVON.

O Me terq; quaterq; infelicem! cui in-
vito contingit esse ministrum

strum te privandi tanto honore!
qui fortunæ tuæ comes fuicum
quo secundæ adversæq; res me
copulavêre. Utinam nunquam
Te in hoc rerum tuarum
articulo fortuna deprehendisset!
utinam nunquã lux hæc afflisset!
quæ splendorem dignitatis tuæ
obscuratura est. Videor mihi
partem viscerum meorum abrumpe-
re: dum in quem tam magna
collata erant, viliozem mihi
facturus sum. Sed quum jam
factum, quod Tu forsân, & ego
factum nollem, victâ pristinae
amicitiæ memoriâ, fidem meam
Reverendissimo Ordinis nostri
sacri Magistro executione
sententiæ probaturus, signum
crucis insigne dignitatis
Equestris, cujus Te indignum

gnum reddidisti, primum à Te
 aufero: deinde ferrum, quo
 adversus hostes ad ultimum,
 utij debueras, uti noluisti, in
 contumeliam tuicoram opti-
 ma exercitûs parte, quæ tuo
 imperio regebatur, frango:
 Teq; omni imperio & titulo
 Equitis destitutum censori re-
 rum capitalium ad feren-
 dum pœnæ residuum,
 relinquo.

DIXI.

ORATIO XV.

quâ

Epilogus JACOBUS STAEL, No-
 bilis Livon.

Laudatâ Exercitatione Ora-
 toria, Auditorio grates perfol-
 vit, actumq; cum voto
 novi anni finiit.

Nihil

Nihil in rebus

præstantissimis invitan-
 di hominum ingenia ad virtu-
 tum atq; scientiarum cultu-
 ram, potentiùs esse ipsa lau-
 de, in comperto est. Tra-
 himur enim omnes laudis
 studio, & optimus quisq; glo-
 riâ maximè ducitur. Gloria est
 vitæ humanæ splendor, mor-
 tis mors, virtutis præmium,
 certo ac constanti bonorum
 omnium judicio viris præstan-
 tibus redditum. Ideoq; rectis-
 simè Eloquentiæ princeps de
 laude, ipse, cujus laus diffusa
 per totum terrarû orbem, sen-
 sit in Miloniana scribens: ex o-
 mnibus præmiis virtutis, si es-
 set habenda ratio præmiorum,

am-

amplissimum esse præmium gloriam: hanc unam, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoria consolaretur; quæ efficeret, ut absentes adesse- mus, mortui viveremus. Hanc deniq; esse, cujus gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere. Ast nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine laudis non tangatur. Vix enim quisquam tam fordido, agresti, abjectoq; ingenio est, ut laude non ducatur, vel qualicumq; titilletur gloriâ: cujus quidē egregius amor quibusvis ac honestissimis mentibus innasci solet. Solent sibi haud parum placere Scenici, si à spectatoribus actâ fabulâ amplificentur laude: si denuo re- poscantur: ad alia atq; alia sub-
inde

inde opera invitentur; aut et- jam ad consveta revocentur. Artium quoq; periti lætantur studio, sibiq; plaudunt, cum opera manuû suarum & in- geniosè inventa à multis cele- brari, à plurimis expeti intelli- gunt. Crescit, crescit laudata virtus:

*Crescit & immensum gloria cal-
car habet*

Hannibal ad tot tantosq; labo- res sola gloria se exstimulatum fatebatur his verbis:

*Mibi magna satis, sat vera superq;
Bellandi merces sit gloria, cetera
vobis*

Vincantur.

Thales mōnitum posteritati reliquit: unum in vita eligen- dum esse, scilicet laudem. Nam mundo solem eripere, homini laudem

laudem idem est. Illo sublato, quis mundum optat; hæc, quis vivat? solem tolle, & tenebræ erunt. Tolle gloriã itidẽ tenebræ erunt. Atq; hæc est, quam humaniorum studiorũ cultu juvenus Scholastica sequitur. Hæc est, quam laude laudatissimorum virorum tanquam veram ingenii mercedem elapsõ anno & hodie Actibus Progymnastico-oratoriis haud dubie reportavit: Dum spectatissimam Eruditorum coronam vultibus & vocibus suis conatibus assentientem vidit, audivit. Hanc tamen non sibi, sed literis humanioribus deberi ultro faretur. Idq; pace vestra A. O. O. H. antequam rivos claudam, ostensus sum. Ut itaq; benevo-

la at-

la attentione vestra per breve temporis spatium uti mihi liceat, enixè oro.

Multi à teneris asvescunt, studium literarum humaniorum rem vilem, plebejam, & honoris fastigio minorem: illasq; ignorare magnam nobilitatem esse. Quis enim bonas literas atq; optimas artes jam respicit, aut non despicit? Nonnulli artium atq; Literarum ignari, qui vel canones grammaticos, totamq; illam puerorum crucem non cognitam habent, Ludimoderatores adorea dignos, Scholas illas virtutum officinas: & artium cupidam juventutem ritu barbarorum alto supercilio despiciunt, lingvæ temeritate virgis & fuste castiganda invadunt,

convitiis lacerant, proscindunt. Magna pars Patrum familias mavult parasitos, aut peregrinas belluas, avesq; exoticas & monstrosos ferarum partus pascere, quàm informatorem filiorum alere: qui voluptates instruat, qui censum scitissimè mergat, ingenti auri pondere redimitur. Psalteriæ, mimi, balatrones, conciliatores, copreæ, servum pecus herum obsident, his ille diu noctuq; paret. Si Magister occurrat tanquam creditorem exhorret, fugit, supercilium contrahit & stomachatur. Et cum ancilla, quæ à pedibus est, mulio qui equos dstringit; cum servulus vestem domini excipere, & dominam gradientem suspendere solitus ære mereant.

mereant; solus Præceptor gratis servit, & vix bona verba pro mercede accipit. Reponunt quidem parentes causam neglectorum filiorum quærentibus: sæva tempora sunt: diutina bella, caritates, terrarum sterilitas, sacra, lites, fiscus quotam reddituum partem lancinant! Plures liberi, coërcendi sumptus: neq; in erudiendis filiis decoquendi. O homines ad rem suam intempestivè attentos, & patrimonii sedulos custodes! Sed uxor aut filia bina auribus patrimonia gestat; sed nebula serica pellucet, ventuq; textilem induitur: sed picturatis vestibibus aurum purpurea decertat: nullum membrum præ auro leve est: Uxoris gratia sæpe vir conturbat,

sæpe auctio sit, ut Juno ejus reliquas matronas anteeat. Quod si verò numus instituentis liberis erogandus, cælum terræ miscetur; si pensionem Præceptor petat, tunc se pauperem parens clamat, seque eradicarier. Hæc, hæc pestis tot divina ingenia in ignorantie baratrum deturbat: Hæc Scholis excidium minatur: hæc bonas literas profligat; hæc Præceptoribus exitium indicit: hæc postremo funus indicat reipublicæ, nænamque canit. Inde fit, ut postquam excidio Scholarum Eruditis parentatum fuit, juvenus ad literas aliàs propensa, sed ob parentum incuriam, avaritiam, barbariemque, literarum rudis magnos in barbarie progressus faciat:

Ipsi

Ipsi vero Eruditorum ac Præceptorum olores, artiumque hostes post mortem ex Pythagoræ decreto per animarum peregrinationem in boves & jumenta transmittendi censeantur; ut aliquando viri docti illis inequent, calcibus atque fuste dolent, ut veterum delictorum poenam ad fatietatem expetant. Hinc fit, ut ex aliorum sententia negotium hoc Æaco & Rhadamanto Plutonicæ aulæ arbitris dandum judicetur: ut quicquid filii Scholis exclusi deliquerint, post fata à parentibus expetatur, & literarum olores apud inferos à juventute vapulent, quam nihil discere, nihil sapere passi sunt. Non tamen promiscuè omnes hæc mentis ecclipsi laborant; sed

P3

quo-

quorum de meliori luto Titianæ præcordia finxit, crassam illam ignorantiae caliginem ceu pestem fugiunt, suosque fugere jubent, scientes, Scholas inque illis exercitia oratoria esse viam illam, quâ ad altiora grassandum omnibus, in quâ & ipsi grassati eo pervenerunt, quo cursum non crocitantem passim corvos sed ordine volitantes grues secuti, direxerant. Id ipsum olim vir quidam eruditione & authoritate magnus literis ad præceptorem datis confirmatus, felices prædicans discipulos: qui fidelitatem Magistrorum suorum venerarentur obsequi: nec tam quod ipsis consultum videatur, quam quod consulatur, suspicerent. *Ignem juvenis, scribit ille, ad altiora plerumque*

rumque, festinat, humaniora non raro dilipendit: quum tamen hec illa non tantum ornent, sed & adjuvent, ipsaque pondus & gratiam concilient. Ego in Scholis, ait, quarum vel nomen dulce est, per triennium maxime stylo me impendi, tum temporis de futuro usu nondum certus, sed partim authoritate tuâ motus, partim interna quadam inclinatione ductus, jamjam experientia doctor: hoc studii genus nullo esse auro redimibile, oleumque & operam omnino meriri plurimam: quum animadvertam connexam styli elegantiam cumque convenientioris ingenio conjunctam ardua etiam proposituro benevolentiam captare, odiosam in auditorum animis spavitate demulcere, ipsaque res proponendas veluti in aureis patinis sistere. Recte, belle, pulchre scripsit: Idemque
P 4 cum

cum Pericle viro maximo & Principe suæ Reipublicæ sensisse videtur, qui ita in hanc rem differit: *Quod licet quis optimè sentiat: id vero idoneis verbis præferre in medium possit, perinde sit, atq; si nihil intelligat.* Hæc talia rarissima esse Oratores, quotquot unquam in Aulis, Templis, Curiisq; ad Principes, populum, concilium concionem habuerunt, experti sunt. Nemo enim rectius & cum majore Reipubl. emolumento ac laude suo functurus est officio, quam qui solerti non modo callidoq; ingenio atq; subactò judicio est, sed magnum & elegantem etiam dicendi usum habet, eloquentiæ opibus stipatus est: Quibus hominum animi priusquam sentiant, expugnan-

pugnantur. Qui verò his caret, ineptissimus ad munia sacra, ineptissimus ad negotia civilia manebit.

Exercitatione igitur ingenia etiam præstantissima à teneris assiduâ sunt excolenda. Et nos studio illo, illâ industriâ, illâ alacritate, quam jam tertio actibus oratoriis splendidissimæ Eruditorum atq; magnorum vivorum coronæ probavimus, in studio capto progrediemur, donec præfixam optato cursu metam contingamus. Vobis vero A. O. O. H. qui immensum calcar atq; stimulum nobis currentibus honorifica & benevolâ præsentia toties admovistis, perorantes nos patienter audivistis, in Rhodo nostra saltantes haud gravatè vidistis,

distis, atq; Hebetarium nostrum splendore vestro irradiare haud dedignitati estis: Vobis inquam Patronis faventissimis, Fautoribus maximis, grates quas mente concipere possumus maximas persolvimus, pietatem vobis nostram obsequiorum atque officiorum promptitudine semper probaturi. Nunc coronidis instar cum voto Noviennii devotivos claudere lubet. Summus ille seculorum conditor nunquam à lateribus vestris discedat, nunquam occupandum vobis gravissimorum officiorum locum sine Divinae suae benedictionis indubia praesentia relinquat. Ascendat vobiscum Concilium Sanctissimum. Servet pulcherrimam

istam

istam coronam vestram integram, illibatam. Ordiamini ineuntem annum feliciter, producite ejus pubertatem atque vigorem felicius, absolvite senium ejus felicissime. DEUS initium, DEUS medium, DEUS finis sit. In hoc omine libenter desino, & cum ignobili hoc faetu, qui pro melioribus nunc sponsor intercedit, Magistrum nostrum, meipsum cum commilitonibus meis Vestrae pietati, benignitati, gratiaeq; majorem in modum commendo.

DIXI.

ACTUS IV.
PROGYMNASMATICO-
ORATORIUS,
IN QUO
SUB PERSONIS PROCERUM
DE TOLLENDÆ
ANARCHIA
CONSULTATUM FUIT
ANNO M. DC. XCV. DIE XVII.
JUNI.

Magna

MAgnam jam du-
dum consiliorum æmu-
latione inter Politicos agitata
est quæstio: quænam regimi-
nis forma magis conferat ad
sustinendam Reipublicæ mo-
lem? Cum enim in tanta in-
geniorum varietate uno mo-
do summam rerum geri non
posse animadverterent, tria
dominationis genera non
absq; ratione constituere. Ni-
mirum, ut vel unus, vel pauci,
vel multi dominatum & autho-
ritatem obtinerent: unde ab
illo Monarchia, ab istis Aristo-
cratia; ad his Democratia ap-
pellationem traxit, ad exem-
plar familiarum: quibus in pa-
trum cum filiis societas speci-
em

P 7.

em regni præ se ferre; viri atq;
 uxoris communio Optimatum
 potestate respondere; fratrum
 vero conjunctio statum popu-
 larem adumbrare videtur ex
 sententia Philosophi Eth. 8. c.
 10. Francisci Patricii Lib. I. de
 Regno Tit 3. Quemadmodum
 autem in quavis rerum copia
 locus est optioni, & præstan-
 tiores in comparatione vilio-
 rum, quas avaritia contem-
 pfit, eliguntur; ita hic quoq; mi-
 rus delectusprehenditur,
 aliis paucorum, aliis plurium
 imperium approbantibus, &
 mox hic mox illi pertinaci o-
 ratione acclamantibus. Adeo
 enim versabiles sunt hominum
 mentes, ut nec nolle quidquã
 diu possint, pæniteatq; modo
 consilii, modo pænitiæ i-
 psius;

psius, mox in hoc, mox in aliud
 studiis inclinantes. Mortuo
 Magno illo Græcorum Re-
 ge, in quot & quàm diversas à
 Proceribus itum fuerit senten-
 tias, notum est; dum Conci-
 lium de successore deliberatu-
 rum coiret. Purpuratorum
 alii posthumo Regis filio im-
 perium deberi; alii sede Ale-
 xandri cum insignibus regniis
 in Regia positâ, pluralitate vo-
 torum, quoties in commune
 consulendum foret, decerni;
 alii deniq; Aridæo Philippo
 genito rerum summam defer-
 ri, volebant; donec prope se-
 ditionem venirent, pervicaci-
 us nonnullis sententiam tuen-
 tibus. Haud dispari modo in
 Imperio Persarum sublato è
 vivis Cambyse, occisoq; Psev-
 do-

do-Smerdi Consilium à Principibus septem de forma regiminis habitum fuit: in quo Otanes pro Democratia, eò quòd status regius facile in tyrannidem degeneret; Magabyzus pro Aristocratia, quòd optima in ea consilia ferantur; Darius pro Monarchia, quòd discordias Principum ad unum summum deferri necessum sit, & patriæ leges id ipsum svadeant, locutus est. Descendentibus tandem reliquis in postremam sententiam, Consultor Darius equi hinnitu jam ad hoc affvefacti imperium occupavit. Præterea quantopere hac dere verbis & scriptis certatum fuerit, testantur duæ illæ apud Dion. lib. LII. Orationes: quarum alterâ omnem Agrip-

Agrippa lapidem movit, ut Augusto persvaderet imperium reipublicæ restituendum, Monarchiam cum Democratia commutandam; alterâ verò Mæcenâs contrarium strenuè tuitus est. Secus perpetuus ille obambulantis Peripatiti Dictator se in hoc negotio gessit. Ille enim quando cum Senatu R. egit *ἀγιστοκρατίας* loquebatur: apud Quirites populares *δημοκρατίας* sententias afferabat; dum vero cum Cæsare sermones misceret, ad Monarchiam prope se demittebat reipubl. & eorum, quibuscum ipsi reserat, rationem habens. Sicuti jam notati & alii, quorum numerus pene innumerus est, diversas sententias scriptis defenderunt; ita gentes

gentes omni ætate diversa studia reipfa prodiderunt. Judæi referente Codice sacro Monarchiâ utebantur à Saule usq; ad Sedeciam; Assyrii à Nimrodo ad Sardanapalum; Medi ab Arbace ad Aftyagem Cyri avum; Persæ à Cyro ad Darium Arsami filium; Macedones à Carano ad Perseum; Romani primùm à Romulo ad L. Tarquinium Superbum, deinde à C. Julio Cæsare duobus supra quinquaginta præliis clario usq; ad Leopoldum modernum Imperatorem. Galli à Pharamundo; Hispani à Pelagio; Sveones ab Humulfo; Dani à Gramo; Ungari ab Atila; Boëmi à Zecho; Poloni à Craco; Britanni à Britone; Scoti à Fergusio, in hunc usq; tem-

temporis articulum in statum regium inclinavêre studiis. Veneri & Belgæ ab Optimatibus regi cupiunt; Helvetii statum suum popularem, si optio daretur, cum nullo imperio permutarent. Adeoq; in singulis reipublicæ formis nationes potentissimæ floruerunt & adhuc florent ob æmulationem felicitatis pene sibi invicem invidiæ: quibus quæ cordi & familiaris est, optima videtur. Deinde nec defuerunt olim populi, qui propter affectionem statuum diversorum multum sanguinis invicem hauserunt atq; diutina ea; gravissima bella inter se gesserunt. Sic Spartani quidem liberam dominationem; Athenienses vero legibus suis contentam ad-

mini-

ministrationem puram populi armis strenuè tuiti sunt teste Aristotele, Thucydide, Plutarcho, Xenophonte. Tantus fuit amor statûs ex quo nationes utilitatem hauserunt, ut eum Arte & Marte defendere: imò vita æstimare haud dubitaverint. Sed ut in rebus humanis quibusvis nihil ex omni parte beatum est; ita etiam isti republ. administrandi modi criminationi locum relinquunt, si usus in abusum degeneret. Tum enim facile Regnum in Tyrannidem, Optimatum potestas in Oligarchiam; status popularis in Ochlocratiam abit: dum Princeps propriam duntaxat non communem utilitatem spectat, & sanguine suorum civium tanquam

quam sordido abutitur: dum Optimates opum suarum amplificationes non publicam rem aut virtutem curant; dum effusa populi potentia, vel potius furentis ac turbulentæ plebis impotentia egenorum magis, quam publici boni rationem habet. Exempli tantum mali memoriam refricare supervacaneum est: quin potius id modo dicendum: vitium non in regiminis forma, verum in rectoribus pessimis esse: qui per abusum detestabilem formas has optimas deformant. Quemadmodum enim res præstantissima quævis ob abusum pessima audit; ita quoque optima gubernandi ratio per eundem in contrariam vertitur: quod non facile eveni-

veniret, si illi, qui ad reipubl.
 clavum sedent, id quod caput
 (ut loquitur Philosophus & e-
 um secutus Orator de orato-
 re,) nossent rempublicam,
 cognitum haberent civium in-
 genium: hōc enim neglecto
 aut ignorato in consiliis dan-
 dis & negotiis publicis *απολα*
 & *διαπόσει* aberrationes à sco-
 po & lapsus turpes ac perni-
 ciosi plurimi oriuntur. Ma-
 net itaq; unicuiq; regiminis
 modo sua laus, donec abusus
 abest. Nec animus est, hic fi-
 nire controversiam, aut pro-
 lixius deducere: cūm decade
 Orationum Deo volente cra-
 stinā die Actūs habendi hæc
 omnia fusius explicanda sint
 Ut itaq; Fautores Literarum
 huic Exercitio, ut & publico
 scho-

scholasticæ juventutis in Ly-
 ceo nostro Regio consumando
 Examine diebus & horis statis
 frequentes interesse velint,
 hæc Invitatione publica decen-
 ter ac humaniter rogantur.

Dorpati A. MDCXCV.

DIE. JUN. XVI.

ORA.

ORATIO I.

quâ

Prologus] JACOBUS STAEL

Nobilis Livon.

Concione de variis hominum studiis auditorium ad attentionem præparavit.

F

Abula est A. O.

O. H. quam vobis proponam, sed in ea varia hominum studia. Etenim quot in genere humano capita, tot etiam sunt sensus. Alii quibus rudis sensus non est, adeo effertur animo; ut si Dii habitum corporis aviditati animi parem esse voluissent, orbis eos non caperet. Alterâ manu orientem, altera occidentem contingerent. Et hoc affectu, ad-

ti, adhuc scire vellent ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Alii in altissimo honoris fastigio constituti, ingentes sitiunt opes, & quo plura habent, acrius, quæ non habent, cupiunt: & avaras ac insatiabiles manus etiam ad pecora & tenuem aliorum suppellectilem porrigunt: haud dubiè, quod nimix opes esurire cogunt, & satietate fames paratur, nullû immodicâ cupiditate modum adhibente. Alii desiderio visendi singulas terrarum plagas ultra terminos solis quandoq; trahuntur, & pene in ultimo mundi sine constituti, in alium orbem parant ire: & decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit esse natura. Sic sæpe circuitu

Q

quæ-

quæritur gloria, quæ ad ma-
 num posita est. Alii gloriam
 suam non terrarum mariumq;
 spatio, sed animi excellentia
 metientes, dies noctesq; ri-
 mandis naturæ arcanis impen-
 dunt, felices se tum esse rati,
 cum supra captum humanum
 soli sapiunt, stupendæ eruditio-
 nis thesaurum compararunt.
 Alii è contrario in altissima
 quoq; fortunâ eminentia bona
 in superbiam & lasciviam ver-
 tunt: patrios mores & civilem
 habitû, velut leviora magnitu-
 dine suâ ducentes par deorum
 potentiæ fastigium Icarî instar
 æmulantur, & palam cupidita-
 tes suas solvunt, Sardanapalo,
 Neroni, aut Dioclectiano nihil
 meliores. Alii, sive sævitia ho-
 stis, sive naturâ calamitosi, o-
 ptimè

ptimè misérias ferunt, nec ulla
 ipsis tam familiaris est patria,
 quàm solitudo ac statûs prio-
 ris oblivio. Alii deniq; in suo
 negotio hebetiores, quàm in
 alieno turbida faciunt sua con-
 filia, dum sibi svadent: atq;
 id sæpe cupiunt quod gratius
 ipsis quàm utilius videtur. Atq;
 hæc omnia & longè plura ad-
 huc hominum mentibus re-
 præsentata sunt Fabulis. Quæ
 virtutes integumentis quasi
 aliquibus vestitis nobis com-
 mendant atq; insinuant, vitia
 turpissima repræsentata specie
 ceu pestem & virus lethale dis-
 svadent: quæ Auditoribus Rhe-
 torum conciones admiranti-
 bus maximam voluptatem &
 oblectationem afferunt: dum
 res à sensu remotas quasi ocu-
 lis

lis spectandas in similitudine rerum nobis obviarum sistunt. Ad hunc quoque censum referri- mus Fabulam illam; quâ do- cetur, Mortales non rarò per- tinaciter appetere id, à quo i- psis periculum non unum, nec leve existit, quodque grave & vix tolerabile futurum est.

Scilicet, vetus sed nota fa- bula est: Ranas, coaxans illud animalium genus, libertatis pertæsas quondam supplices ad jovem preces pertulisse; ut multitudini suæ ingenti aliquem præficeret Regem, ad cujus nutum intentas se futuras; cu- jus imperium modestè selatur- ras spondere. Jupiter, prout naturâ mitis erat, oratoribus benignè exceptis, precibusque ad se perlatis haud morâ exau- ditis

ditis ingentem trabem, ad fe- rendum ranis desiderio Regis flagrantibus jura, in lacum de- jecit: quo fragore atque sonitu ranæ primùm territæ fugâ ab- latae sunt; mox tamen rece- pto animo regressæ speculari cæperunt, quid accidisset. Quæ cum conspicerent trabem su- per aquis natantem, invasere illam subito cum magno con- temptu salutantes per risum titulo regio. Proinde indigna- tus ac secus quàm par erat mo- tus petulantiam ranarum Jupi- ter immisit illis anguem aqua- ticum: à quo cum capi & ma- gnam ranarum copiam deglu- tiri animadvertent ranuncu- li, confestim eos, at serò, sto- lidi subiit voti pænitentia, fa- ctâ pristinae libertatis ac secu- ritatis

ritatis recordatione: & præsentissimo vitæ discrimine in dies oculis obversante. Sic unde præsidium petierunt, periculum extitit: unde lætitiâ sperarunt, tristitiâ attulit: unde generis sui incrementum expectarunt, notabile decrementum accessit. Servati enim ex periculis, quæ sola timuerunt, in illud inciderunt, quod timere non debuerunt, præda non hosti, sed Præsidi victima facti.

Monere videtur fabula; nihil temerè tam in privatis quam publicis rebus designandum; neque aliquem affectione novæ fortunæ: quam nunquam expertus est, moveri debere; sed pristinum statum ob mutationis periculum potius reti-

retinendum. Equidem sæpe quod pro nobis futurum speramus, in contrarium vertitur. Præsertim si minus consideratè aliquid designatur. Nihil enim potest esse diuturnum, cui non subest ratio: & licet felicitas aspirare videatur rebus humanis, tamen ad ultimum temeritati non sufficit: quod suo damno, qui hæc prudenter dixit, Codomannus expertus est. Petuntur sæpe, promittuntur aliena, quæ nec capi, nec ferri possunt. Conspicit non nemo procerarum arborum fructus, altitudinem verò earum non metitur: at dum ad cacumen pervenire contendit mala carpturus, cum ipsis ramis, quos incautus comprehendit, deorsum fertur.

fertur. Malè humanis ingenii natura consuluisse videtur, quòd plerumq; res & statum suum in comparatione aliorum fastidiant: Hinc in externum cultum, degenerare, habitu & disciplina aliarum gentium delectari, æquè à patrio more & sermone abhorre-
re, in peregrinos ritus abire, non tantum non nefas haberi, sed laudi etiam sibi duci credant. Sed quantam sibi exinde invidiam contrahant non tantum apud gentis suæ purgamenta, verum etiam nobilissimum sanguinem, arctaq; propinquitate conjunctos moribus patriis vivere assuetos, multis exemplis comprobatum est. In comperto est, afflictionibus aliorum rerum ta-
libus

libus insignes mutationes portendi. Cum enim Darius cognomine Codomanius ultimus Persicæ gentis monarcha per somnium vidisset castra Alexandri M. ignis fulgore collucere, & paulo post Alexandrum duci ad se in eo vestis habitu, quo ipse fuisset: equo deinde per Babilonem vectum subito cum ipso subductum, vates augurati sunt: illustria Macedonum castra fulgorem Alexandro portendere, eumq; regnum asiæ occupaturum: quòd in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus esset Rex. Adhæc dum Darius in principio Imperii, huic somnio quasi pro ludens, vaginam acinacis Persicam, quæ ex gemma erat, jussisset mutari in e-

am formam, quâ Græci utebantur, Chaldæi interpretati fuerunt, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Quam vera hæc fuerint auguria, historiâ græca docemur. Præterea quot & quantas insidias in caput Pellæo juveni Macedonum Duces ac milites propter peregrinum ejus cultum atq; ritus, quibus, ad flectendum forsan animos novum imperium fastidientes, se delectari simulabat, paraverint, nemo ignorat præter ignarum græcæ historiæ. Quot & quantis cladibus se afflixerit populus ille tot gentium domitor Romanus, scriptores rerum romanarum passim memorant, & bella intestina, exter-

nis

nis longè sæviora ac periculosa, delectu novorum magistratum nata testatum reliquere. Dum enim populus iste capite sibi opus esse videret, & de eo constituendo deliberaret an uni, aut pluribus summam imperii deferret, neq; idem omnibus sensus esset; verum pars altera unius, altera plurium imperium ferre mallet, suam quivis sententiam ferro tueri decrevit: unde ad arma itum est, tantumq; sanguinis bellis civilibus haustum est, quantum qui oculis non subjecerunt, animis concipere non possunt.

Et hæc causa procul dubio fuit, quòd gentes nonnullæ olim servitutis ac disciplinæ rudis patientiam suam imperii

Q6

per.

per tot, hominum ætates ex-
perirentur: & cui summa re-
rum deferenda, cujus fidei tu-
telæq; publica res credenda
diu deliberarent; ne id teme-
rariè designarent, quod nun-
quam nisi cum exitio suo sol-
vere possent. Eandem etiam
ob causam Liberæ civitates
ereptis fato Principibus fre-
quens adhibuerunt concilium
habitâ deliberatione: an spem
& salutem suam uni, vel pluri-
bus an proli regiæ masculini
tantum, vel utriusq; sexûs; in-
digenæ vel alienigenæ com-
missuræ essent. Hujusmodi
Conciliæ Exemplar A. O. O. H.
jam in subjectis præsentibus
habebitis. Qui sub Procerum
Personis de TOLLEND
ANARCHIA & regiminis mo-
do

do consultabunt, alio pro uno,
alio pro paucis, alio pro plu-
ribus, alio pro Electione, alio
pro Successione utriusq; sexus,
alio pro Indigena, alio deniq;
pro Peregrino Principe eli-
gendo sententiam ferente.

DIXI.

ORATIO II.

quâ

SUB PERSONA ILLUSTRI

WILHELMUS GUSTAVUS Bâr-
gen Nobilis Livon.

Necessitate Magistratus sum-
mi offensâ commilitoni-
bus deliberandi copiam
fecit.

Commilitones

strenui, Amici in paucis.
Libertatem unicuiq; cordi
esse

Q7

esse præter sensûs expertem nemo negaverit. Amorem enim libertatis à natura insitum esse, omne viventium genus in regno aëreo, terrestri & Neptunio abundè docet. Annon inermis avicula cavæ inclusa exitum solerter meditatur, & datâ fugiendi occasione cavea elabitur, spreto cibo delatissimo abundantissimo, ut & domicilio pretioso? Annon equus frænum reformidat, & libertatis suæ memor capi se non patitur; imò captus forem incautum dejicit? Annon Taurus tædio & formidine laboris prægravis durâ cervice jugum excutit: vinculum, quò præsepi alligatur, rumpit, & liberum quietis locum sub diu quærit, præoptat? Annon Ba-

lenæ

lenæ reti circumventæ metu captivitatis, quâ cuiq; patet via, aufugiunt rete perumpunt, fiscellam piscatoriam declinant, & in libertatem se asserunt? Eodem naturæ instinctu nobilissima creaturarum, quæ ratione regitur, libertatem tanti æstimat, ut eam morte redimere sustineat. Hinc haud injuria appellatur aurea, quòd auro, & quod auro præfertur, vita æstimetur: adeo ut Poëta rectè cecinisse ac monuisse videatur; *Alterius non sit, qui suus esse potest.*

Verùm cum Libertas sæpe hoc habeat, ut ad licentiam, (quæ propria vitæ affectio in possessione & usu rerum minime parca, una janua & aditus ad omne scelus est, & scelesti

con-

contra patriam & cives consilia suggerit, disciplinam solubri ratione temperatam despicit,) facile deflectat; cautè tractanda, legibus coercenda, à prudentioribus regenda est: ne in Licentiam malorum quorumvis fontem degeneret, risum inimicis, civibus verò exitium parituram. Non enim memoriam nostram fugit; quot & quantus gregarii milites in Imperio Romano; prætoriani in orientali, libertate abusi per effusam licentiam excitaverint tumultus; trucidatis, vel in exilium, aut perpetuos carceres, aut ad trirèmes Imperatoribus damnatis alios subinde in sceptrà posuerint; illosq; exosi mox alios sibi præferunt Imperatores; cives verò

& com-

& commilitones, qui in veteres inclinavère studiis, eosq; pervicacius tueri voluère; ne quidem simplici morte, sed per cruciatus interdum gravissimos è medio sustulère. Atq; hic sæpe & finis & fructus fuit Libertatis in Licentiam, licentiæ in seditionem, seditionis in bellum, belli in ultimum discrimen abeuntis. Quodsi igitur patriam nostram quietam, res nostras tutas, & pignora nostra charissima securam esse volumus, magistratu, cujus spiritu vitam trahere possumus, opus esse iudico.

Dulce quidem Libertatis nomen est: sed non in eo significatu, quòd sit quodlibet audendi potestas; verum ut eam Cunaus eleganter depingit:

Non

Non est libertas vestra sita in effreni licentia quadam, sed in legum, atq; in iustitia obsequio. Omnes in hac servitute nati sumus, legibus & aequitati parere summa ac vera libertas est. Non sunt liberi homines dicendi, qui vitiorum & delictorum mancipia sunt. Vel ut eam Romanæ Eloquentiæ princeps in Paradoxis descripsit: Dictum est igitur à sapientissimis viris, nisi sapientem liberum esse neminem. Quid enim est libertas? Potestas vivendi ut velis? Quis igitur vivit ut vult, nisi profectò qui recta sequitur, qui gaudet officio. Cui vivenda via considerata ac prævisa est: qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit. At hoc sine Magistratu conservari minimè potest. Nam sive in toga, si-

ve in

ve in fago versentur mortales, ea eorum est in doles, ut semper in vetitum nitantur, & negata cupiant. Sed hos inordinatos malefanorum motus quis reprimere potest? Magistratus. Ad omnes homines affectus impetu rapiuntur, vituperant, irascuntur, tristantur, utcūq; præsens movet affectio: Quis hanc compescere potest? Magistratus. Est homo hominì lupus, & alius alium opprimendi occasione datâ laceffat, debilitat, frangit, enecat: quis ejusmodi resistere potest? Magistratus. Ut jam nihil dicam de illis, qui ingentia animi bona in superbiam & luxuriam vertant, cupiditates palam solvunt, & honori sibi ducunt, ad exemplum prodigæ illius

Cleo-

Cleopatrar̄ inæstimabilem margaritam uno haustu deglutientis, opes amplissimas paucis prandiis commessando decoquere, atq; æmulatione vitiorum invicem decertare: qui nisi ad pœnam trahantur à magistratu, barbaros suos mores profectò in mitia & honestè vivere assveta quoq; ingenia transferre sustinerent.

Deinde, estò horum omnium metus nullus sit; at de terminis regionis nostræ, vel aliis certaminum causis finitimi bellum nobis inferant, (nam rarò quisq; suas opes, quas fundavit tuetur: nec adversus immodicas cupiditates terminus stat; sed sordent prima cum majora vel meliora sperantur) Quis ante prima signa ibit? quis

quis classem præparabit, quâ superanda flumina? Quis hostium transitum in opposita fluviorum ripa pectoris oppositu morabitur? Profecto ubi utraq; acies in oculis erit, & tubâ signum pugnandi datum fuerit; totidem in acie nostra futuri sunt imperatores, quot agmina errabunt. Alius jungere aciem, alius divideré; stare quidam, & nonnulli circumveniri terga hostium jubebunt: in medium nihil consulatur. Unus quisq; quod ipse reperit, aut solum aut optimum ducet. Equidem turbida in sententiarum varietate & rerum non peritorum deliberatione sunt consilia, obstante aliis metu, cupiditate, nonnunquam naturali eorum, quæ cogitantur, amo-

amore. Et sic civibus inter se discordibus non rarò bellum intestinum nasci solet: unde dum patria salubri consilii ratione in eodem statu, quo multa secula floruit, conservanda: dum corpora pro charissimis pignoribus hosti opponenda, cives sibimet ipsis bellum indicunt, in propria viscera sæviunt, atq; belluarum ritu in mutuam perniciem ruunt, nullo ætatis atq; sexûs habito respectu: salus publica naufragium patitur, spes servandi patriam omnis amittitur: amicitia in inimicitiam, inimicitia in iracundiã, iracundia in furorem ac rabiem non nisi civium sanguine satiandam vertitur, & nulla non facies mali deest. Hostis è contrario expertus

pertus res nostras adversâ fortunâ geri optima nos opprimendi occasione utitur, bellum belli laboribus nobis fatigatis indicit, prælium parat, aciem instruit, arma militibus distribuit, commeatum ne tantæ multitudini desit, providet, locum in quo acies explicari potest eligit, occupat: Duces ordines circumeuntes & interequitantes militem stare, pugnare, pugnã mutare, discurre in cornu, obsistere, circuire de industria docent: intenti in id solum, ut progressos nos sine capite in aciem insidiis circumveniant, equorum ungulis obterant: à tergo, fronte & lateribus simul aggrediantur, & ordinibus nostris turbatis in fugam vertant, ex fuga depre-

prehenſos occidant, & in captivitatē, quæ liberis hominibus morte gravior, pecorum modo ducant. Et ſi rebus ſiſtantibus prælium declinare conſtituerimus, hoſtis noſtro pavore, quam ſua virtute, felicior, munimenta patriæ noſtræ, dum nullus tranſitum moratur, pertranſiens, bellum nobis in ſedibus noſtris inferet: longè latèq; diſperſos igne velocius inſequetur, & multos paſſim opprimet. Coniuges, liberos, & opes tot hominum ætatibus collectas præmium victoriæ habiturus, iugumq; liberis hominibus intolerabile impoſiturus. Tot & tanta Anarchiam comitantur incommoda. Exemplis ſententiam meam doceri vultis?

vel

vel una illa gens, quæ à Roma olim orbis domina, appellationem traxit, veritatem ejus ſatis confirmat. Hæc enim donec capite careret, in obſcuro degebat, de nomine ſaltem exteris populis nota; ſed dum Reges ſibi præficeret, terribilis toti orbi facta omnibus gentibus bellum intulit, ubiq; victorica arma circumferens potentiffima evaſit: quoties iterum capite privata, toties notabile decrementum paſſa eſt. Paria nos fata manſura eſſe, ſpecies imminentium rerum, quas divinatio animi præſagientis accerſit, in vulgus editur. Et jam fama eſt, vicinos Principes multitudine ſuorum admodum lætos, & noſtra ſolitudine felices, caſtra terminis

R

noſtris

nostris admove: jamq; stre-
pitum hostilium armorum ex-
audire videor. Proinde si
patriam nostram fartam te-
ctamq; conservari volumus,
novis initiis opus est; consilii
festinatione periculum præve-
niendum, tractandum, cogi-
tandumq;, quâ ratione Major-
um nostrorum famam, glori-
am, libertatemq; obtinere, &
ad seros nepotes transmittere
possimus. Et meo quidem
iudicio non alio pacto id ipsum
melius fieri posse crediderim,
quàm ut spem, salutemq; com-
munem certo capiti commit-
tamus: cum militaris turba
sine Duce corpus sit sine spiritu.
An uni aut pluribus, mari vel
fœminæ, indigenæ vel alieni-
genæ auspiciam & imperium
tradi

tradi velitis, destinate, me faci-
lè consentientem habituri.

DIXI.

ORATIO III.

quâ

PERSONA ILLUSTRIS

Deductâ prolixè gentis suæ
in solitudine vivere asvetas
in solitudine vivere asvetas
Magistratum electuris Mo-
narchiam commendavit,

habitâ à

GERHARDO RIGEMAN,

Nob. Livon.

Dulcis aureæ li-

bertatis titulus, dulcior
ipsa libertas, ut olim gentibus
liberis omnibus, ita non mi-
nus nobis cordi est. Non qui-
dem appellatione illâ, quâ le-
gibus

R2

gibus omnibus excussis cupiditates nostras palam solvimus, atq; libidinem ritu animantium brutorum sectamur; (ea enim fœdissima servitus est) sed qua intra Legum limites retenta, ultro iis obsequimur. Nos singuli sublati certaminum causis, cum & omnes ejusdem gentis simus, & à cæteris sui quisq; territorii regione discreti, facile eo contenti esse possumus, quod obtulit occasio, nunquam specie quadam prætensionis alienas invasuri terras. Quid nobis cum exteris est? nunquam terras eorum attigimus: opes quas majores posteritati longâ ætate pararunt, nosq; in pace & quiete perpetuâ justo modo acquisivimus, justo titulo possidemus,

demus, alienas non cupimus. Qui sint alii, unde veniant, haud dubie nobis in provincia nostra tranquillè degentibus ignorare licebit, nulli servire volentibus, nec ulli imperare cupientibus. Utinam vicini Principes nos pristinae & præsentis fortunæ statum retinere paterentur! Libertatem nostram cum nullo in orbe terrarum imperio commutaremus. Sed cum versabiles sint hominum mentes, & avaritia insatiabilis, facile bellum nobis periculo securis, bello vel spoliis vivere assveti movere, ac sub servitutis jugum mittere poterunt. Adeoq; novis omninò initiis & capite adgerendum publicam rem opus esse tecum Commilito sentio.

Ast de modo ac forma regiminis ut primum conveniamus, operæ prætium erit. Ac meum quidem consilium, cuius rationem mox redditurus sum, est, ut summam imperii in unum, quem optimum iudicaverimus, deferamus.

Equidem mihi, si parendum alicui foret, semper Rex potior visus, ac unius imperium: nec mihi solum, verum omni retro ætati, sed rationi, quæ fasces regni vel abrogat, vel confert. Nam imperium, quod sub uno stare potest, dum à pluribus sustinetur, ruit. Regium in orbe terrarum imperium summo Numini, summisque viris à multis seculis sacrum fuit: nec non in summa veneratione habitum, donec fideliter ac feliciter

liciter ad populi tutelam ac conservationem administratum: & non in alium finem susceptum, quàm ut terra marique pax & tranquillitas obtineretur. Vetustati adstipulantur fasti temporum, qui Regum regnorumque seriem de industria longam pertexere. Idem honos vocabulo ab ætate media habitus à recentiore etiam habetur. Annon Assiriis & Persis, qui Reges suos divinis & majoribus quàm par erat, colebant honoribus, sub Principibus ætas aurea fuit? Annon Macedones belli artibus peritissimi ad Indos & mare, quod rerum humanarum terminum esse voluit natura, idem protulit nomen auspicii & ductu Alexandri Philippo

geniti? Annon Roma olim orbis domina, Reges antehac adoravit, & repulsi quondam regiis fascibus, iterum tamen unius imperium ferre sustinuit? Omnino proinde omnia ad unum referri publicæ rei & pacis interest. Multorum regimen non semel turbarum & intestini mali fax & origo extitit. Nulli rerum Romanarum gnaro ignotum est, Romæ Trium viros & septimam Marii purpuram cruentam fuisse. Nec etiam tolerabilior status Decemviratûs ibidem fuit, quem exacto biennio proscripsit, maluitq; absolvi citò leges, quam diu tot Regum imperio dominari. Si enim unius acta gravant folium, plurium non relevant. Proinde populus Romanus

manus jure meritoq; salutem se Principi suo debere profitebatur, cui noctis, quam pene supremam habuit, novum sidus illuxit C. JULIUS CÆSAR præliis duobus supra quinquaginta memorabilibus clarus. Hujus solis ortus lucem caliganti Romanorum reddidit orbi, cum sine suo capite exsangvia trepidarent membra, deficerentq;. Multos ille tam infestas extinxit faces, multos condidit gladios, magnam tempestatem subitâ serenitate discussit. Inde non revivuit modo, sed etiam floruit imperium. Adhæc Natura exemplis præcludere videtur: quæ Regem commenta in apibus, quarum Regi amplissimum est domicilium me-

dio ac tutissimo loco. Sic multis quoque gregibus eximiae magnitudinis & roboris præstant corpora. Elephantorum celsissimum agmen cognatum ducit. Maximus armentorum gregem præcedit taurus. Idem in volatilium atque natatilium genere evenit. Ubi aquila primas tenet, & piscium maximus primum in ordine locum occupat. Imò supremum cælum minores infra se globos in gyrum agit raptatque. Ad ultimum nec Deus Sceptri confortem patitur unus omnium Princeps: nec aliud regimen cæli Regia admittit, & orbis totius dominatus. Sed quis Politicorum formam imperii meliorem ad invenerit, quam Dei æmulam? Optima sanè illa est,

la est, quæ ut Deus regit, Deum auctorem & conservatorem habet. Quæ si debite formata, legibus firmata, vix nisi communem cum mundo finem habitura est. Regibus enim jure meritoque regna consecutis ea est indoles; ut suæ fortunæ oblitæ, salutis publicæ curam solum agant, nec alias se salvos, nisi salvis civibus esse rati. Quare Reges Seneca Deorum vice fungi in terris verè dixit: Philosophus optimum ac divinissimum Principatum. Plato Deum quempiam humanum: Homerus à Jove educatum, pastorem populorum. Hoc ipsum exemplo suo laudatissimo comprobavit Hadrianus Imperator R. qui sæpe dixisse fertur: ita

R 6

se

se rempublicam gesturum, ut sciret rem populi esse non suam. Vespasianus quoque in eodem dignitatis fastigio constitutus, cum morbis vehementer conflictatus officio nunquam defuisse legitur; sed diligentiam quam maximam ostendisse: & amicis, ut suam salutem curaret hortantibus respondisse: *Imperatorem statim mori oportet.* Non dissimilis huic fuit Rudolphus Princeps itidem orbis Romani laudatissimus: qui, per *DEUM* inquit. *Sinite homines ad me venire.* Non enim ideo ad imperium sum vocatus, ut in arca includar. Ita plurimi in illa dignitate eximia eximias quoque virtutes per omnem vitam coluerunt: idque soli

soli præstitere; quod plurimi, quibus vel cura, vel fortuna defuit, nequivere. Nec prius somnum capere, nec quietem pati potuerunt, quam exonerarent animum solitudine publicæ rei causâ ipsos agitante, quæ quietem morabatur. Sed dicet forsitan aliquis, metuendâ esse libertatis jacturam sub Principe atque capite uno? major profecto sub plurium gubernaculis metus est: Nam dominantium numero augetur servitus, augetur onera. Nec pro uno Principe tot heriles animæ obtruduntur? Neutiquam etiam proclivis in tyrannidem est Principatus; sed multorum potentia unius dominatu coercetur: & discordiæ eorum, qui ob æmulationem

nem virtutis aut alias certaminum causas invicem invisibile tolli possunt, alias non nisi ense terminandæ. Ut jam nihil dicam de commodis infinitis aliis, quæ statui regio debentur. Unum adhuc mihi memorare licebit, quantum reipublicæ intersit, si Mars classicum canat, ad unum rerum summam deferri: cujus gloria in solido est; qui ipse miles, bonus orator est. Nam cum milites multis terrentur ab hostium transfugis de industria possim jactatis, adeo ut vix arma capere, nedum prælium forti animo & spei pleni inire sustineant; ipse Rex hilarem ac interritum præ se ferens vultum, ingentem in suorum animis

mis moderatâ oratione excitat spem, dicitq;: Non esse improvisam mentientium vanitatem: nunquam ad liquidum famam perduci: omnia, illa tradente, majora esse vero: sæpe angustas fauces, amplissimos campos, invios colles, & alia terribilia facta, quæ tamen plus nominis, quam operis habuerint. Rursus, dum multitudo & vasta hostium corpora copias terrent, eodem modo territos erigit, dicendo: eandem vanitatem copias perditum equitumq; numerasse: & si tanta copia fingatur, certum esse; congregata tot millia ipsa se elidere ubi nec fugere possint. Se itaq; hostium legiones non numeraturum, nec de paucitate suorum cogi-

cogitaturum; verum ipsorum manus, virtutemque rerum gerendarum vadem praedemque habiturum: nihilominus certam sibi victoriam polliceri, si modo animos sibi alacritatis ac fiduciae plenos adhibere velint milites, qui digni sint, nihil in expertum, nihil metu omissum, relinquere: digni inquam, qui opes, quas regio dives, praedam quam castra hostilia offerant, referre in patriam. Hunc in modum fere Rex allocutus suos milites spondet se primum periculis oblaturum, aciemque clypeo suo tecturum: neque desideraturum, ut fortiter pugnent, qui ejus signa sequuntur, nisi ipse fortitudinis exemplum futurus sit. Talibus, profecto dictis non surdae sed atten-

attentae pulsantur aures. Totis castris clamor alacritatis index auditur: tam Duces quam milites palam fatentur, eundem sibi animum, qui Regi, esse: se ituros quo Rex iussurus sit, pugnaturus, periclitaturus, suoque sanguine nomen ipsius posteritati commendaturus. O quam felix est Respublica illa in qua omnes copiae ad unius componuntur exemplum: in qua omnium civium spiritus ex uno pendet! Non possunt ibidem res adversa fortunâ geri; verum omnia pro voto fluere oportet. Ergo stat sententia mea, cujus rationem reddidi: Unus sol unus Rex esto.

DIXI.

ORA-

ORATIO IV.

PERSONÆ ILLUSTRIS
Summam rerum Optimarum
tibus deferri iubentis.

habita à

JOHANNE KRÜGERO Dorpatens.

NOS, qui hactenus in privato vitam duximus, & ex inde solatium ac delectationem haud exiguam cepimus; illam fortunam, quamvis in obscuro aliis posita videatur, infra Regiam Majestatem neutiquam collocare possumus. Nam quibuscunque proprii Penates cordi sunt; in parvo sibi regno, vel angusta patria, maximum Principatum imaginantur, & summa vitæ tranquillæ felicitate fruuntur.

untur. Nemini felicitate secundus sibi esse videtur, cui divinitus illa vivendi ratio contingit: quam Seneca eleganti Glyconio descripsit:

Rex est qui posuit metus,

Et diri mala pectoris.

Quem non ambitio impotens,

Et nunquam stabilis favor

Vulgi precipitis movet.

Non quicquid fodit occidens

Aut undâ Tagus aurea

Claro devebit alveo.

Non quicquid Lybycis teris

Fervens arca messibus.

Quem non concutiet cadens

Obliqui via fulminis,

Non Eurus rapiens mare

Ventosa tumor Adria,

Quem non lancea militis

Non strictus domuit chalybs.

Qui tuto positus loco

Infra

*Infra se videt omnia,
Occurritq; suo libens fato:
Nec queritur mori.*

Verè hæc de Diogene Cynico, de Abdolonymo, de Curtiis, Fabriciis aliisque aurei & argentei ævi plurimis dici possunt: qui haud imparem in dolio, vel exiguo rure voluptatem perceperunt, quam potentissimi regnorū amplissimorum Principes ex universæ Asiæ & Africæ possessione: qui humilem casam inviti vel plane non splendidissima Regia permittere sustinuerunt, intelligentes quanto magis sit regnum fastidire, quam accipere: cum suâ forte qualicumq; contentis etiâ nihil habentibus, nihil desit, & manus ipsorum desiderio sufficiant.

At-

Attamen alia rerum facies hodie quàm olim, ut non ita pridem monitum, aliam vivendi rationem postulat. Tempora nostra sine legibus & Regibus vivere non permittere videntur. Atq; Commilito noster prolixè svasit, curam omnium & salutem communem uni imponendam, qui Rex appellatur, & fide à jurantibus seriò factâ ab iisdem nobis comitibus in Regiam ducatur. Et forsân idem mihi sensus cum eo foret, nisi aliæ rationes haud leviores sanè pro Aristocratiâ juberent verba facere: quas pace vestra modestè in medium sum laturus.

Equidem Optimatum potestas, quæ Politicis Aristocratiâ dicitur, vel appellatione suâ unum-

unumquemq; in sui amorem
 invitat: quam inde traxit,
 quòd in ea optimi viri guber-
 nacula teneant; vel ita pro-
 sint, ut ad communem utilita-
 tem omnia referant: qui neq;
 nocentes sunt, nec natura im-
 probi, nec furiosi, nec malis
 domesticis impediti. Illi hoc
 unum intuentur: ad id cursum
 suum atq; curam dirigunt,
 quod præstantissimum maxi-
 meq; optabile omnibus sanis
 & bonis videtur. Student ma-
 ximè virtuti: honores & præ-
 mia digna tantum concedunt:
 virtute omnia alia æstimant:
 morum disciplinam diligenter
 agunt, leges observant, colunt,
 & ab omnibus observari atq;
 coli jubent.

Deinde si mediocritas omni-
 bus

bus in rebus laudem meretur,
 extrema à criminatione libera
 esse non possunt; unius æq;
 atq; omnium imperia ceu ex-
 trema repudianda sunt. In A-
 ristocratia tanquam in medio
 acquiescendum nobis erit:
 præsertim dum necessitas, quæ
 ante rationem est, nos ad opti-
 matum statum cogere vide-
 tur. Vix enim, ac ne vix fieri
 potest, ut in uno tot ac tantæ
 reperiantur virtutes, quot ac
 quantæ optimo necessariae
 sunt Principi. Et longè tutius
 Prudentioribus videtur, per
 Optimates, quam plebem rem-
 publicam geri: cum illi turpi-
 ter aut indecorè agere, gene-
 re suo indignum æstiment;
 hæc verò majoribus obscuris
 oriunda, parvam sibi jaçturam
 facere

facere putet, si aliquando contra jus fasque graviter delinquat. Et plures iique optimi facilius quam unus munia reipublicæ exsequuntur consociatis laboribus atque consiliis. Ad hæc res graviores alio modo, aliâ authoritate, aliâ gravitate gubernari certum est, quam à populo rerum planè rudi ac imperito. Ac licet cives perverſi & purgamenta urbium Optimum quandoque severitatem scelerum suorum gravem censuram horreant, haud tamen secus illi sunt molesti, quam Medicorum potiones ac strenua medicamina, aut quam chirurgorum ægris corporibus vincula: quibus vim morbi depellere, luxatos suam infedem artus restituere, & vulnera sanare conantur.

So-

Solet quidem liberis hominibus Democratia vel propter lenissimum nomen grata esse, quam tamen à lenitate multum abhorrentem comperimus. Nam in petulantia Democratia, Legum neglectu Libertas, confidentia æqualitas, Licentia felicitas consistere putatur. Pendendum hic ex alieno; parendum multitudiniquæ aut servit humiliter, aut superbè dominatur. Quò magis itaque à dominantium multitudine abhorreo, eò minus mihi unius Imperium placere potest obstantibus incommodis haud paucis, quæ Herodotus observavit, de Monarchia hunc in modum scribens. *Licet hic pro libidine & impune omnia agere.* Potestas merè unius

S

opti-

optimum quoque virum extra consuetos sensus abjicit, nascitur ex praesentibus bonis insolentia, invidetur optimis quibusque probantur deteriores, utile judicatur criminationes admittere. Plura his addit Xenophon in Hierone sic scribens: In bonos Reges ac Principes crebro excitant odia: quia odia existimant aliorum felicitatem suam damnari, infortunium emolumentum esse: nec tales tuto ac tranquille vivunt dum molestis, difficultatibus curarum publicis quam privatis premuntur.

Atque has ob causas mihi cum plurimis Aristocratia aliis gubernandi modis potior atque utilior videtur. Accedunt his exempla gentium clarissimarum eadem usarum, quae memorent, quò magis id ample-

ctar quod commendavi; & imponi mihi, si necessitas jubet, patiar, quod tolerabilius esse creditur. Gens omnium prima optimatibus paruit. Lacedaemonii sub temperato vivebant imperio, in quo Rex Monarchiam, Senatus Aristocratiam, Ephori Democratiam representabant. Eodem modo regebantur olim Romani ejecto Tarquinio Superbo constitutis instar Regis Consulibus duobus, deinde Decemviris. Galli Regum impotentium dominatione offensi, in Optimates summam rerum detulerunt: qui sacra, Leges, & judiciorum potestatem tuerentur, relicta Nobilibus disciplinae militaris curam, plebi verò occupatione in agris &

opificiis. Saxonia quoq; dum
 CAROLUS Magnus verè ma-
 gnus bellum ei inferret diuti-
 num duodecim Proceres una-
 nimi consensu sibi profecerunt.
 Hodie adhuc Liberarum Im-
 perii Civitatum plerarumq;
 & quæ instar omnium esse po-
 test, Venetorum Respublica
 optimè ab Optimatibus admi-
 nistratur: quorum consilio,
 ductu, manuq; res nonnun-
 quam patratae sunt, quæ in mi-
 raculis habitæ fuerunt. Ho-
 rum auspiciis potentia Veneta
 in immensum aucta est, ut
 sideri Thracico terribilis exti-
 terit hodieq; existat. Nec mi-
 rum: nam mollius incumbit
 moles prægravis per valentio-
 res lacertos divisa nec pluri-
 um ductu, auspicioq; turbatur
 regi-

reginem, sed juvatur. In ho-
 rologio motus unius rotæ cir-
 cumactu non perficitur, sed
 multiplici rotarum ordine. I-
 dem in civitate evenit: ubi
 non unius, sed plurium salu-
 bribus consilii rationibus salus
 publica acquiritur, conserva-
 tur, augetur. Deniq; dum
 virtuti honor habetur, plures
 se ad reipublicæ usum de indu-
 stria aptant, ingenia excolunt,
 militares artes studiosius pro-
 sequuntur; quo se civibus pro-
 bent, à quibus suffragia virtu-
 ti parari sciunt, non unius li-
 minis angustiis coarctata.

Habeat igitur cælum Prin-
 cipem, at non in terrarum im-
 perio. Aliud terris ingenium,
 aliud in cæli Principe. Sæpe
 enim corrumpit, quem ex ho-
 mini-

minibus sic erigit fortuna. Ante Purpuram multi ut Numae in Purpura ut Nero, cui melius oluit civis occisus, quam hostis, dominantur. Et dum Elephantum suum ducem maximum habere, apes suum regulum circumvolare, aves aquilam, pisces grandiore sequi dicuntur; non tamen hæc omnia alieni imperii jura, quam libertatem sequuntur. At ultimum ut siderum ingens numerus cælo, ita non dominantium pluralitas regno officit. Quapropter pluribus quasi basibus Reipublicæ nostræ gubernacula imponi spondeo, meliora interim spondentibus non oblocuturus.

DIXI.

ORA.

ORATIO V.
PERSONÆ ILLUSTRIS
Statum Popularem sive Democratiam spondentis
habita ab

HENRICO HINTZE Riga Livon.

Dum jam in me unum totius Concilii hujus oculos defixos; idque arrectis federe auribus, & animis attentis, non dicam attentissimis adesse conspicio: nullus dubito, quin sententiam meam, de tam arduo argumento audire quoque gestiat. Sed unde orationis meae telam ordiar, quomodo eam commode perficiam, eruditæ Commilitonum meorum conciones ingentem sollicitudinem

S 4 mihi

mihi verborum copiâ, sermo-
nis elegantiâ, pronunciationis
svavitatem, gestuumq; concinnita-
te destituito incutiunt, ne in
sermone habendo, iusto vel bre-
uior vel prolixior alicui tædio
sim, aut criminationi locû faci-
ciâ. Nam nihil ineptius & mo-
lestius est auditori, quàm si ora-
tor ordiatur verborum flumê,
mentis gutta, quod de Anaxi-
mene quondam Theocritus
vulgavit: idq; non eloquentiæ,
sed lapsantis, iudiciô Gellii,
garrulitatis, quam Salustius lo-
quentiam haud injuriâ dixit,
indiciu est: ita paucis mul-
ta, parvis magna dicere comi-
te rerum intelligentiâ, præviâ
diutinâ cogitatione, iustâque
morâ temporis ac singulari
modestiae ac mansuetudinis
tem-

temperamento, non nisi in vi-
ros eruditione ac rerum expe-
rientia claros cadit: quorum
sermo non intra labra nascitur,
sed lingua cordis & bonæ men-
tis funiculo trahitur. Idq; dum
Spartani, à quibus arguta bre-
uitas Laconismi appellatio-
nem traxit, animadverterent,
Ctesiphontem sua civitate ex-
cedere iusserunt, quod palam
confiteretur se totum diem de
quacunq; materia verba face-
re posse. Cordati insuper viri
pleriq; locutulejos & blatero-
nes, quos veteres in Prover-
biis Architæ crepitaculum, æs
Dodonæum, ranas cicadas &
garrulos appellare soliti fue-
runt; contempserunt, odio
habuerunt, procul abigendos
& rubra cædendos solea volue-
runt.

runt. Vix mitiorem censuram Loquacitate nimia breviloquentia errorum, discordiarum obscuritatisque mater merita est. Hæc enim instar oraculi delphici miseros ludibrosos homines, & responsa dat breviter, ambigua, incerta, quibus acceptis multo magis quam ante pendent animi, & in vitio quasi constituti, quo se veritant, ignorant. Dum itaque utriusque, & plus & minus, quam par est loqui, in vitio ponitur, medium ad declinandum Scyllam atque Charybdim eligendum est. Nimirum, bene, recte, prudenter & apposite dicendum: pauca breviter, minuta tenuiter, mediocria temperate, multa prolixè, magna copiose, sublimia magnificè proferenda.

sic sermo rebus par est & æqualis. Idque cum & argumenti dignitas & temporis ratio, & confessus spectatissimus à me expediri jubeat, haud morâ sensa animi eo quo par est ordine modoque exponam; & sententiam à prioribus diversam, salvâ tamen authoritate omnium tuebor, pro Democratia verba facturus.

Atque non jam hic attinet conciones paulò ante in præsentia vestra habitas prolixè repeti, cum in recenti omnium memoria adhuc eas esse certum sit: verum hoc tantum memorari refert, quòd ex sermone habito Commilitones nostri in unius partim, partim in paucorum imperium studiis inclinare intelligantur.

tur. Ipsis quidem rationes consiliorum latorum non defuerunt; attamen dum gentis nostræ indolem & imperii partem paulo accuratius perpendo, neutrum eidem & nobis, sed statum popularem optimè convenire arbitror. Nos enim non regio imperio, sed legibus moribusq; patriis regi affveti, omnia potius toleraturi sumus, quam libertatis, quâ nihil dulcius, ut experti estis, amissionem. Deus propitius sine invidia, quæ dixero, audiatur, eodemq; cursu, quo fluxere res, ire patiat, nostrisque moribus velit esse contentos. Æquissimum enim est, ut, qui eandem naturam acceperunt, eundem cæli haustum habent, ejusdem sunt

gentis,

gentis, iisdem vivunt moribus iisdem legibus instituti sacrorum & lingvæ commercium frequentant, ac eundem corporum & animorum patriæ usum exhibent; omnium quoque cæterorum communitatem habeant. Sic olim exemplo avium mortales politiam acceperunt, ut communis esset labor communis dignitas: per vices singuli partirentur curas; nemo esset honoribus expers, nullus immunis labore. Atq; nulla omninò respública præterquam populari statu constare videtur, in qua populus urbem, ærarium, leges, honores, & publica in commune quærit, iisdem fruendis summâ voluptate afficitur. Quemadmodum natura alte-

rum

rum altero nec opibus nec divitiis superiorem fecit: ita popularis status id summo studio intendit; ut omnia omnibus æqua sint. Communia sunt ibi bona, communia mala. Nihil adversi alter alteri, prospera quisque precatur: Non ibi calamitas querula est, nec superba felicitas; sed calamitosis nemo misericordiam denegat. Inde avaritia tollitur, servatur amicitia: discordia proscibitur, concordia colitur. Nihil ibi insolenter agitur; quia sorte magistratus eliguntur, rationes ad ministrationis diligenter exiguntur. Nemo alii infidias in caput parat, cujus successionem metuere habet. Adhæc collectim universi quàm viritim

su-

singuli magis profunt: prudentius ac subtilius consulunt multi, quàm unus aut pauci. E contrario quot & quanta incommoda in statu Monarchico & Aristocratico notata fuerint, totis voluminibus Majores posteritati reliquere, haud dubie, ut alieno damno sapere disceret, taliq; imperio colla submitteret cui ferendo sufficeret: ejusque fructum cum voluptate perceptura esset. Fieri enim non posse credebant majores longâ experientia edocti, ut sub unius aut paucorum imperio cives ac subditi metu tyrannidis & malorum innumerorum liberi esse possint. Et quam proclivis in tyrannidem Principatus sit, ex priori concione prolixè intellexi-

leximus. Testatur hoc ipsum longa in orbe Romano tyrannorum series, quorum numerus in Periodo prima Imperatorum Ethnicorum longè major est quàm Principum optimorum. Eadem incommoda in Aristocratia sese offerunt. Cum enim multi ab honoribus sine eorum merito arcentur, injuriæ verò impatiens est natura humana, virtutis comes invidia nascitur: & dum inter paucos virtuti studetur, privata odia excitantur, unde factiones & seditiones crebrò oriri solent. Et dum Optimates immoderata autoritate Rempublicam administrant Tyrannorum crudelitas est metuenda, qui uno illo tyranno eò perniciosiores futuri

futuri sunt, quò pernicius omnis capitalior ac nocentior multiplicata, quàm sola est: vel propter opinionum saltem diversitatem, ambitionem, varias cupiditates, ubi diuturnum concordia vinculum sperari non potest. Experta id ipsum olim est Sicyoniorum Respublica, quæ abrogatâ Democratia, tyrannos in Monarchia multos ferre coacta, pænas spreti statûs debitas tulit, sensit id ipsum etiam gens Romana sub Decemviris Tarquiniiis ob superbiam dictis. Nec meliori fortunâ Atheniensium res gestæ sunt, dum triginta à Lysandro nomine ἀγνοῖαι & custodes constituti, re vero immanissimi tyranni fuerunt. Quid mali Polonia, cùm fatis fun-

functo Lecho, duodecim Palatinis regni summam crederet, passa fuerit, memorat Cromerus lib. 2. Polon. Histor. qui eam intolerabile Palatinorum jugum diutius ferre perteritam, Craco insignia regiae obtulisse scribit. Ast alia rerum facies in Democratia, ubi libere omnia & sponte sua fluunt remota omni coactione. Habet hæc pro fine libertatem, quâ nihil melius ac præstantius, vel conceptis expeti votis potest. Nihil inquam optabilius aut jucundius est, quam sublato tyrannidis metu, libertatem à natura unicuique datam recuperare, tueri: quæ ita jucunda est, ut etiam bestiae delectationis causa conclusæ, licet opiparè atque copiosius alantur,

tur, quam si liberè vagarentur, non tamen facile se contineri patiantur.

Atque istæ cum aliis multis sunt causæ, quibus magna civitatum pars mota Democratiam cæteris Rerumpublicarum formis prætulit. Atheniensem Rempublicam omnium prudentissimam & Legum saluberrimarum matrem, popularem extitisse, ac diu experientem tyrannidis, inviolatam à barbaris, liberam à seditionibus fuisse certum est. Nemo insuper ignorat, quanta hodie Helvetia excussò jugo Austriaco, tranquillitate ac felicitate in statu populari perfruatur.

Adeoque si & nobis alia vivendi ratio cordi est, quàm hæctenus; hanc quæ nostræ genti atque

atq; indoli affinis & utilis est, eligendam svadeo. Ita fiet, ut mutationem violentam nullam sentiamus, periculum nullum timeamus, eundem fere cum pristino fortunæ statu retineamus.

DIXI.

ORATIO VI.

PERSONÆ ILLUSTRIS
Principis Electionem per Suffragia aut fortem defendentis,
habita à

FRANCISCO JOHANNES
SINGELMAN, Dorpat.

Eundem & diversum omnibus sensum esse de constituendo imperii modo, conciones hactenus ad nos

nos habitæ ostendunt. Eundem dum magistratum & diversum, dum unum, vel paucos, aut plures constitui jubent, intermiltis tamen querelis & dolore hâc mutatione pristinae libertati parentatum iri metunt. At dum accuratori mentis oculo rem ipsam introspicio, nullam omninò querimoniae aut metûs causam subesse video, sive uni, sive paucis, sive pluribus summa imperii deferatur. Est enim modus in rebus. Equidem si unius imperium, (ut ego quidem sentio) ferre malumus, eligamus aliquem tantæ spei non imminentem; sed optimum, cujus habitus corporis famæ generis non repugnat: qui meminerit, à nobis se acceptum habere.

re regnum. Is profectò capto Regis animò, in eam fortunã, quã dignus est, continentiam proferet: & cum in regali solio refidebit, vitæ, necisq; omnium Dominus cavebit oblivisci status illius, in quo accepit regnum, imò propter quos. Tandem mutuo datã & redditã fide, à nobis comitibus inter totius populi salutationes ducatur in regiam ad occupandum regale solium, coronam auream & Sceptrum insignia regia. Hòc deinde fatis functo (cui tamen vitam longam ac felicitatem precemur) eadem in perpetuum liberã Electione aliquodà Proceribus caput præficiatur. At ne istam lapsantis iudicii sententiam esse intelligatis, rationes consilii mei brevi-

breviter habitã temporis ratione exponam.

Cum enim Imperium unius omne fastigium humanum supergrediatur & immortalis ipsius Numinis imaginem representet, nihil gloriosius, nihil æquius, quam ei concedi, qui virtutis causa omnium optimus habetur. Idem felicissimè obtinetur, si electio civibus libera relicta copiam faciat illum prætereundi, hunc eligendi. Ubi verò successione dignitas regia ad posteros devolvitur, cujuscunq; indolis ac ingenii successorem tolerare coguntur. Et quamvis ejus, qui in spem tantæ fortunæ, quantam Princeps amissurus, genitus, maxima interdum cura geratur; non tamen ra-

rò etiam negligitur, eò quòd jam certus imperii futurus successor non tam virtutis, quàm hæreditatis causa credatur. At in regia Thronum circumstant Virtus & Genus. Utrique in votis Purpura. Sunt omnino, qui sanguinem & cunas adorare velint. Nec fallerentur, si semper pares imperiis nascerentur. Verùm natura hominem non semper Principem format: & qui caliculo illius regna committit, fortuita non cavet. Cæca sæpe inauguratio, quæ sic Principem in folio regali collocat, incerta dignum an secus inaugurèt. Nam non quivis hæres purpuræ, etiam virtutis paternæ. Sæpe dum mater Augusta prolem fovet, Neronem

orbi

orbi educat. Adhæc molle est per fascias regni suffragium, & pessimis commune. Virtus igitur potius & merita coronentur: nec minus his quàm sanguini tribuatur. Ubi enim hæc viâ ad summum dignitatis fastigium itur, quanta æmulatio inter eos, quanta spei imminent? quanta clementia Regis in cives electores electi? quorum benevolentiam ac amorem in se constituendo expertus est. Hinc etiam beneficii memor accepti subditos gravioribus premere oneribus dubitat, ne profusum favorem offendat sicque Rex & grex felix est. Ad eò virtutis præfagia nunquã, aut raro fefellerunt. Ast genus degeneres quandoq; tulit,

T

haud

haud secus ac arbor frondium
 honore tumida, quandoq; pro-
 fert stolones. Electio vero li-
 bera optimum quemq; cupit
 capitq; quocum Reipublicæ
 felicitas diutissimè percipitur,
 sustentatur. Ideoq; etiam Do-
 minus dominantium, cui cæ-
 lum & terra parent, in Reipub-
 lica Judaica post universalem
 illum cataclysmum, Judices
 constitui; nec tam successio-
 nis sanguine, quàm optima
 virtute stare suam gentem vo-
 luit. Et dum eadem à Regi-
 bus gubernari spreta summi
 Numinis ordinatione assueve-
 ret, ipse Davidem præterita
 Saulis stirpe virtutis causa Re-
 gem coronari atq; ungi iussit.
 Sic etiam ab aliis gentibus tem-
 poribus Heroicis per suffragia

in regiam itum. Sic Romulo cir-
 ca infantiam Numa amissò per
 suffragia summæ rerum præ-
 ficietur. Nec aliter hodie
 summus in orbe christiano
 thronus. Cæsarem accipit,
 quàm per suffragia Principum
 Electorum: nec Roma sum-
 mum in Ecclesia Romano-ca-
 tholica Antistitem: nec Polo-
 nia Regem: sub quibus tamen
 statu florentissimo gaudent, &
 incrementum in dies notabile
 capiunt. Neq; mirum est,
 quod Electio tot comites ha-
 beat fructus. Nam Rex uni-
 versali concilii totius decreto
 ad summum fastigium eve-
 ctus, dignitatem atq; potesta-
 tem post Deum non alii quam
 subditis se debere fatetur, &
 tantum beneficium majoribus

adhuc beneficiis compensare
allaborat, nec ullam benefacti-
endi occasionem sterilem praer-
terlabi patitur. Hinc cives
tantis grati animi indicibus ad
majus obsequium invitati, ni-
hil antiquius habent, quam
omnibus, quæ imperantur,
morem gerere. Ideoq; non
potest non verum fieri dictu-
rum illud, quo Potentissima
Belgarum Respublica æs fir-
gnare solet: *Concordia res par-
te crescunt.*

Sed dicet fortassis non ne-
mo: Ipsi in hoc fortunæ fa-
stigio per subditorum suffragia
vel sortem positis aliquid au-
thoritatis decedere? verum
fallitur, quisquis tali æstima-
tione dignitatem acquisitam
metitur. Imò plus gloriæ ac-
cedit,

cedit, tanti nominis sibi auto-
rem propter virtutes esse, quã
hæredem. Majus encomium
debetur illi, quem virtus etiam
ex humili casa, quam solus
sanguis in scepra reposuit. *Vir-
tuti*, inquit Cicero, cui virtus
sola vitam restituit, *vera laus
debetur.* *Virtute nihil est for-
mosius, nihil pulchrius, nihil meli-
us.* *Virtus beatum facit honora-
tum, nobilem.* *Cætera omnia ca-
duca sunt, mobilia; virtus solatem-
porum, fortunæq; vices nescit: in
tempestate quieta, in tenebris
splendida, non obsolescens alienis for-
tibus, non debilitata incommodis suis.*
Antisthenem assidue dixisse fe-
runt: *Virtutem sibi sufficere ad fe-
licitatem, nec ulla re opus habere,
nisi robore Socratico.* Optimè ac
verè etiam Seneca scripsit: *Vir-*

sus extollit hominem, & supra ca-
ra mortalibus collocat. Quapro-
 ter neminem puto, nisi cui
 sensus virtutibus rudis est, as-
 sensum mihi denegaturum.
 Nec est, ut quis pericula, quae
 interregni fluctus minari for-
 san videntur, metuat? & ea
 propter Electionem improbet
 cuius damna longè minora
 sunt quàm successione, ætate
 in imperio tenerâ, ubi Regum
 Ministri autoritate apud po-
 pulum magnâ, sub specie tute-
 læ & imperii alieni procuran-
 di regnum non rarò invadunt
 & occupant. Cum itaq; Ele-
 ctio debite facta optimum
 quemq; cupiat, capiatq; im-
 peraturus omnibus eligatur
 per suffragia vel sortem ex o-
 mnibus, quem iusta ætas &

insignia animi bona ido-
 neum indicant.

DIXI.

ORATIO VII.

PERSONÆ ILLUSTRIS

Electionem per sortem im-
 probantis

habita à

GEORGIO JOHANNÆ KOSKUL,
 Nobil. Livon.

Non ignoro ali-
 quibus id probro verti-
 dum quasi alieno sensu egeant,
 sapiantq; & suo non possint,
 commodato consulunt, mu-
 tuantur sententiam. Hæc vir-
 gula censoria Cæsonius Pætus,
 referente Tacito, castigari no-
 lens, placita aliorum, licet o-
 ptima, sequi erubuit; ne alie-

nis egere consiliis, vel alieno pendere arbitrio videretur. Verum peponem habeam pro capite oportet, si hoc delirantis factus exemplum probem, quod nemo sanior Pato sequitur. Certè ex Pæti sententiâ consulû ordini dedecori esset cum alio rectè sentire: tollerentur consilia, quæ omnis ætas ad Respublica approbavit. In conventu plurium dum unus & alter in diversam ivit sententiam, aliis tacendum erit, ne cum aliquo sentire videantur: & sic aliena sententia muti reddentur. Quare nihil refert quod meam alius præverit sententiam, dicamq; secundus vel quartus aut decimus, quod primus dixissem. Non ordo in sententiis, sed pondus appro-

batur.

batur. Nefas verò tunc habetur sequi consilium alterius, cum uterq; iniquè sensit, & qui præit, & qui sequitur. Cæterum cum rectè quis consulit, cur à recto aberrandum? Gravidius hoc ipsum nefas est, perperam sensitse post aliena oracula omnium assensu digna. Quapropter Ego liber metu probri in novissimam manibus pedibusq; ut dicitur, eo sententiam: quæ Electionem Regis libertati nostræ congruam esse docuit. Sed unum in ea, nimirum Electionem per sortem minimè approbare possum.

Nam quemadmodum Electio per suffragia & consultationem sanæ rationi convenit; ita illa, quæ per sortem instituitur eidem ceu lux tenebris

T 5

aut

aut malum bono, è diametro repugnat. Equidem quilibet eam, qui mentis ecclipsim non passus est, fortuitam & temerariam esse intelligit: quæ non rarò indignis honores & præmia præstantiora tribuit, dignis adimit, aut viliora tantum confert. Unde haud injuriâ veteres eam cæcam & insanam dixere. At quid indignius foret, quàm imperium rem omnium eminentissimam tam levi committere principio? fortiri enim Ciceroni idè prope modum est, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus rebus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet: quæ inventa est fallacis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem aut ad errorem. Plus dicit

dicit Philosophus. *Extrema demerentia est, id quod maximum, optimumq; est fortuna committere: quandoquidem Isocrates sortitionis gubernatricem fortunam esse dixerit.*

Non quidem me fugit veteres legibus divinis partim, partim civilibus, & moribus gentium atq; approbationibus motos sorti nonnunquam rem decidendam commisisse: ubi in mirum discordibus eligentium numero parium votis duo aut plures sunt nominati, inter quos æmulatio generis, virtutis, opumq; fuit: quæ sortitio approbantibus Politicorum placitis, ceu ad tollendum inter discordantes dissidium nec mihi displicet. Si verò harum causarum nulla subest, ac omnia sine discrimine ac

dissidio forti determinanda
 committuntur, minimè pla-
 cet. Equidem sortitionem
 in certaminibus rarò bona fi-
 de fieri certum est, quam non
 divinum Numen, sed fraus hu-
 mana dirigere solet prout cal-
 lidis cordi est simpliciores de-
 cipientibus: cujus rei exem-
 plum in Dario hujus nominis
 primo Rege Persarum fasti
 temporum exhibent. Præter-
 rea nullus consilio locus relin-
 quitur, nihil ratio valet; ubi
 nec futura prospici, nec si quæ
 malè cesserint, corrigi; sed om-
 nia ad arbitrium cœcæ Deæ
 suscipi necessum est. Frustra
 genus humanum natura præ
 cæteris animantibus intelli-
 gentiâ, sapientiâ ac prudentiâ
 ornasset: Frustra tot judicicia
 magnis

magnis alerentur sumptibus,
 si sublatâ optione sortitionis
 decreta attendenda forent. Sed
 hoc esset naturalem rerum
 cursum atq; ordinem perver-
 tere, quod nemo sanorum un-
 quam approbavit. Verum
 vitio prudentibus semper ver-
 sum fuit; dum temerè quic-
 quam, & non deliberato potius
 consilio cuncta egerunt.
 Criminationi locum fecerunt
 fortissimi etiam viri, qui exi-
 miam gloriam sapius fortunæ,
 quam virtutis habuerunt be-
 neficium: & successu optimo
 gavisi non virtute ac consilio,
 sed præter expectationem for-
 tunæ favorem res magnas gessis-
 se visi. Quod si igitur sortitio
 etiam eventum prosperum lar-
 gita, dodecori est, quanto ma-

gis vesaniæ maculam inuret il-
li, qui sibi ab eâ ingens malum
infligi patitur. Ratione ergo,
quâ præditi sumus sanâ in ne-
gotio omnium dignissimo gra-
vissimoq; utamur, eligamusq;
per suffragia ex gente nostra
regnaturum; sortitionem
contrario â salutis publi-
cæ gubernatione re-
pellamus.

DIXI.

ORATIO VIII.

ILLUSTRIS PERSONÆ
Indigenas solum ad Reipu-
blicæ gubernacula admitten-
dos esse svadentis

habita ab

HENRICO HAKELMAN,
Revaliens.

Apri-

APrimè viri illu-
stres, inter vos de con-
stituendo regiminis modo de-
liberatum; & consilia ex con-
siliis sanis atq; salubribus sanio-
ra adhuc & salubriora nata es-
se ingenuè fateor. In diver-
sas â vobis amico tamen diffi-
dio itum est sententias, aliis u-
ni, aliis paucis, aliis deniq; plu-
ribus summam rerû deferenti-
bus, & quidem Electione per
suffragia viritum lata: Jam mi-
hi quoq; otium nonnihil dis-
serendi de eadem re erit. Ne-
que indigna hæc Electore cive
occupatio futura est prame-
ditandi, censendiq; quod eli-
gendum; ne inconsulti suf-
fragii jacta sit alea: quæ rectè
an secus ceciderit, bono malo-
que

que civitati stabit, & sortem adferet, qualemcunq; Electio libera nobis fecerit. Vivimus autem eâ felicitate, ut patrium nullius simus, nullius in verba juremus, neq; hæreditario jure in Principis ejusdam personæ aut familiæ servitium cedamus; sed dominum ultro nobis adoptare possumus: cui electo non servient dum, sed parendum erit. Quærant liberrimè alii sumantq; singuli aut universi, Proceres aut cives, quàm longè lateq; universus terrarum diffunditur orbis, sibi imperaturos apertiq; campò jure electorali Candidatis regni suffragentur, ac sibi Reges dicant. Nobis, si meo mihi arbitrio uti licet, utilis ac honestius

vide

videtur certum intra numerum ordinemq; ac non extra patrium orbem pluralitate votorum Principem adsumere, ejusq; imperium eâ, quâ parest, modestiâ ferre.

Etenim si optimum regimihis medium adminiculum est, perspectam habere incolarum indolem, mores, terrarum regendarum nosse conditionem; nihil magis convenit, quàm excluso peregrino indigenam in summo fastigio collocare. Talis enim sub eodem cum civibus cælo genitus, iisdem moribus & disciplina educatus, Leges ab ingenio subditorum nihil abhorrentes fanciet, modum gubernandi servandique regnum solus optime ac scite adinveniet, & cum civibus

bus suis clementiam suam communicabit. Contra peregrinus Princeps, nisi mihi admodum & simplici fuerit ingenio, quod non semel contigit, peregrinos secum mores, quos imitari erubescimus, nostros exofus in nos transfunderet: novo more sub jugum mittet, nostro ut sordido & supervacaneo abutetur sanguine: militē magno numero extraneum in sui corporis custodiam, & arcum tutelam adhibebit: regnum electoralijure acceptum filio & seris nepotibus de manu ad manum tradendum destinabit. Hinc Ligarum, fæderum, & garantiarum, quas pro domino sua cum Principibus vicinis nobis inferatis stabiliet, seq̄ aduersus libertatem

tatem nostram, cui nunquam apud exteros ac peregrinos Principes fides, consiliis armis permuniet. Nec iuuerit Capitulationis Legibus potentiam regiam, aut regios liberos circumscribi, eosq̄ extra patriæ focos detineri: dum Lex nulla naturæ potentiora iura, & paternum erga prolem affectum adstringat. Profecto cura regni absentibus liberis ipsū destitueret, in absentes versa: implereturq̄ quod Terentius quondam argutē dixit: *Ibi sumus, ubi non sumus, ibi non sumus ubi est animus noster.* Cura inquam, opes, provisio, sollicitudo, intentior erga absentes esset, remissior erga salutem publicam. Præterea certum est, majorem inter Regem indigenam

nam atq; subditos, quàm peregrinum amorem esse. Quem admodum enim eundem aërem hauserunt, sub eodem cælo nati; ita communi quasi vinculo devincti invicem sunt. Morum & ingeniorum similitudine formatur indissolubile inter Principem ac subditos amoris vinculum: ita ut multi imperantium & parentium amore patriæ stimulati vitam suam neglexerint; ejusq; ad reprehensionem pene prodigi fuerint, dummodo patriæ bene fecisse potuerint. A peregrinis vero, à quibus vel ob fidem jurando factam auxilium sperabatur, Reipublicæ non unum periculum extitit, ita ut excidio patriæ deflendo indigenis à peregrinis parentatum

tatum fuisse legatur. Eam ob causam Leges Spartanorum omnem peregrinum hominem à suis finibus arcendum esse jubebant, nedum ad Reipublicæ gubernacula admitterent. Sapientissimus ac summus Nomotheta in principio Reipublicæ Judæorum expressam tulit legem: ne summam rerum exteris conferrent, verum è fratribus sibi legerent Regem. At nullius consilium imò præceptum tutius sequi possumus, quam illius, qui rectorum omnium conditor Principes dat & tollit, atq; regimen nullis limitibus circumscriptum cælo terraq; gerit. Deinde, si aliud non obstaret, pudor tamen, qui ingenuos homines deterret, vetabit suffragia

fragia extraneo conferre, quasi Procerum nostrorum corona non par sit administrando imperio, & sceptrum non mereatur: quasi aliena tantum tellus proferat Reges, qui nobis dominantur: quasi subesse tantum instar mancipiorum, non præesse; regi non regere asseri simus. Si dicendum, quod res est: Derogamus omnino patriæ, si alibi Principem quaeramus, quasi caput in ea non reperiamus, quod coronemus? Pulchrum quidem est, orbem exterum coronis & Regibus implere: sed quorsum alienam sic spartam adornemus, nostram negligamus? Si decorum est, Principum fortunam, cui libet, suffragio deferre, & creare Principes: æqui-

signi

us sanè fuerit, domi hanc vim creandi defigere. Cur felicior sit aula externa, quam domestica merita? Si dignum exhibebit regale solium; quid quaeramus peregrè per vaga suffragia, quem domi reperimus? Plures enim patria nostra egregios genuit viros folio dignos ob virtutum splendorem: quos si spreverimus, & exteri jura prætulerimus; nondum nostram felicitatem perspeximus, dominum alienigenam adoptaturi: qui sub alieno sole dispar regendis ingenium cepit: legum atq; morum nostrorum ignarus multo tempore gnarus atq; peritus evadere non poterit: interim legum tutela ab inscitia nulla prorsus speranda, sed confusio summorum & imorum metuenda. De-

Deniq; metus adhuc subest, an adscititius aliunde Princeps amore patriæ vel tædio imperii nostri, vel potentia candidatorum motus, oblatum amplecturus Sceptrum, vel accepti etiam fastidium non capturus sit. At quantum sic diadema regium vilesceret! Quæ sic vacuo solio rerum facies futura esset. Nunquam ejusmodi sprete solii ignominiam expungere- mus: vix ac ne vix damnum à desertore Principe ærario illatum (siquidem opes tot hominum ætatibus cumulas, quibus contra nos usus esset, commoda occasione aliorum transférri juberet) refarcire possemus: nisi bello diutino, cui parando atq; gerendo ærarium exhaustum suppetias nul-

las ferre posset, restitutionem urgeremus opibus civium omnium exhaustis multoq; sanguine profuso. In recenti omnium memoria adhuc est, LUDOVICUM Hungarorum Regem agrè precibus Oratorum Republicæ Polonæ flexum, ut sceptrum Polonum capefferet. Exemplum eâdem in Polonia deserti throni est Henricus Valesius: qui Paternis Galliæ Liliis intentus Poloniæ solium clam dereliquit & eo, unde venerat, eâ quâ potuit, velocitate se recepit: sicq; aditum regni peregrinis Principibus obstruxit; ita ut Gens Sarmatica libero electionis jure superba ex aliena terra Reges ab eo tēpore nō petat, unō ambientes etiam rejiciat, ne quod for-

te nascendi plerisque; gentibus evenire solet, ut sub Domino & in hæreditatem genitæ; tolerantia excusentur, ipsa libertate Electionis clara, impetu aut errore, aut per indignas corruptelas à recto tramite devians, malum Principem sponte sua & culpâ sustineat; cum semel datum sceptrum superstitè vita, de manibus extorqueri nec possit nec debeat. Solet itaq; Natio Polona de eligendo Rege magno provisum agere: non temerè salutem, spem, decus, fortunasq; publicæ rei cuicumq; Candidatorum credere; sed optimum Electione invenire. Ac Libertatis ejusmodi & prudentis Electionis specimen paucis ab hinc annis, dum sceptro Poloniæ

loniæ abdicatione Joannis Casimiri Regis in medio posito, votis, curâ, ambitu plures Candidati imminerent; quidam etiam callidiorè consilio in occulto laterent, ut ostentatâ mox fortunæ spe distractos Polonorum animos, & suffragia gratâ novitate in se verterent ad tollendum sceptrum, edidit: dum spretis amplissimis Candidatorum peregrinorum promissis in indignam, qui diu scepra Polona moderatus, MICHAËLEM inclinantibus plurimorum studiis, nullus peregrinorum tantæ spei imminentium ad regale solium admissus fuit. Vix etiam deinceps aliqua peregrinis spes occupandi Thronum Regium Poloniæ superest, si

mónita, quæ viri graves & sublimi prudentia sub Censuræ titulo in Electores & Eligendum vulgarunt, observata fuerint.

Discamus itaq; bono & malo alieno edocti sanguinem patrium venerari. Civem patriæ in Regiam inducamus, qui magnæ indolis speciem verbis factisq; prodidit, & nunquam tantæ spei imminuit. Is neutiquam fastidiet Regnum; neutiquam tanta fortuna tumescet; sed eadem patientiâ, quâ privatam duxit vitam, Regnum feret: & capto Regis animo continentiam in eam fortunam, quâ dignus fuit, proferet. Salutem publicam suam esse credet; salvum se non, nisi salvis civibus esse

fate-

fatebitur, Rex & Pater patriæ futurus. Deniq; cum in regali folio residebit, non obliviscetur illius statûs, in quo accepit imperium, & per quos: verum memor erit, à nobis acceptum se habere regnum. Cedat ergo civi patriæ, cedat indigenæ honos & onus hoc, quod negligere haud poterit, cum patriam amat, in qua ad Purpuram adolevit.

DIXI.

ORATIO IX.

PERSONÆ ILLUSTRIS
Pro Peregrinis in Thronum
Regium ponendis locutæ,

habita à

JOHANNE OLRAU, Dorpatens.

Nihil in rebus hu-

V3

ma-

manis usq; adeo semotum est ab omni controversia & certamine, etiam si cum æquitate & æqualitate cognationem habere videatur, quod dubitationem non patiat, si subtiliter animi curas intendamus. Quæstiones sæpe obveniunt inexplicabiles, facta dubia & obscura, testimonia varia & invicem pugnantia: quæ nisi instar Musici admodum placidè reducantur, magnarum turbarum & rixarum incitamenta existunt. Sunt quidem aliqui, qui omnes suo ex ore sapere cupiunt: secus si fiat, odisse incipiunt, & suo abundantes sensu pro hostibus habent. Persis hunc morem fuisse fasti temporum memorant: ut si quis in consiliis Regi non assensus

fuis-

fuisse, flagris cederetur. Gravius in dissentientes Darius Codomannus ultimus in imperio Persarum Rex animadvertisse videtur, qui Charidemum Atheniensem jussu Alexandri M. Athenis pulsus, tunc autem in Aula Darica commoratus, cum Purpuratis solitâ vanitate spem Regis infantibus, diversum ab illis de exercitu Darico suæ sortis & regis superbis oblitus, vel moris ignarus, diceret, jugulari jussit, licet utilia contra eum, qui pœnas sprete consilii expetiit, svaserit. Xerxes cum adversus Græcos bellum parans Proceres concilio bellico adhibuisset, se hoc fecisse dixit: non ut eorum consiliis uteretur, sed ut illi suis parerent. Alius autem Cy-

V4

ro,

ro, Alexandro, Augusto, Principibus Potentissimis sensus fuit: qui propterea sententias suas postremo dicere soliti fuerunt, quoties in medium consulere-tur; ne Proceres propter au-toritatem Regiæ Majestatis præconcepta forsan consilia salubria supprimerent, & latis tantum inhærerent. Apud Ro-manos hic fuit mos, ut in Co-mitiis omnibus privatis homi-nibus concio prius indecere-tur quàm Magistratui; ne ali-quis potentioris sententiâ præ-ventus suam reticeret, sed ani-mi sensa, sicut unicuique cordi esset, exprimeret. Princeps Eloquentiæ Romanæ voluit, ut in recta sententia ne victa quidem causa vituperaretur, unusquisque rectissimam sen-

ten-

tentiam diceret, tametsi solus in ea singularisq; futurus esset: quòd ad eum non rei eventus, sed suffragium & consilium o-ptimum pertineat; cumq; ex diversis sententiis quæ melior visa possit eligi. Sic quoq; Rex Macedonum Philippus Amico cuidam atq; intimo in omni-bus sibi consentienti dixisse fer-tur: Diversum semel senti, ut duo esse videamur. Et profe-cto vix ab adulationis aut stoli-ditatis suspicione se liberave-rit, qui aliorum consilia tan-quam oracula promiscuè pro-bat, & in cunctis pædarius est. Attamen quibusdam sua tan-tum placent; aliorum sublimi licet prudentia præscripta ac prædicta vilipenduntur. Talis erat concio paulò ante audita,

V5

quæ

quæ adeò peregrinis infesta fuit; ut tantum indigenis laudem virtutis & imperii dignitatem tribuerit. Cum tamen certum sit; sæpe peregrinis omnino exclusis Rempublicam oppressam esse indigenarum imperio, peregrinorum verò servatam & ad summum fastigium evehctam. Adeoq; breviter demonstraturus sum etiam Peregrinos quandoq; ad Imperium admittendos esse.

Non enim obstruit peregrino Principi atq; Illustri Personæ aditum regni, si non eadem terra, qua cives regendi, genitus sit, & mores eorum non æquæ ac indigena ex conversatione cognitos habeat, quos ex scriptoribus Satyricis & peregrinationis exactè scire poterit.

rit. Similiter ac nos Romanorum, Græcorum, Persarum, Hunnorum, Thracum, Turcarum, Indorum, aliarumq; gentium nomine tantum notarum indigenis sæpe melius cognoscimus. Nec metus est, novas ac insolitas leges à peregrino introductum iri: si in Capitulationem à Proceribus Electoribus conceptis verbis juret. Ast si nec juramento fides habenda, idem ab indigena quod peregrino periculum existet. Et si mores quosdam exterius in nos transfundere sustineat, nisi illi nocivi sint, nihil officient nostræ Saluti atq; Reipublicæ. In multis equidem gentibus multa esse comperimus, quæ imitari non erubescimus. Nec aliter regnum aptè admini-

strari potest, quàm ut quædam
& trademus aliis, & ab iisdem
quædam accipiamus & discer-
amus. Si verò amor immobile
Reipubiicæ fundamentum ac
vinculum fortissimum est: non
ille flagrantior ac firmitior ab
indigena, quàm extraneo spe-
randus: qui virtutis exemplari-
morum concinnitatem, animi
candorem, benevolentiam se-
cum ad Sceptrum regendum
fert, quibus imperantium &
parentium mutuus amor con-
ciliari solet bene invicem cupi-
entium. Regum enim clemen-
tia non in ipsorum modo, sed
etiam in illorum, qui parent, in-
geniis sita est. Obsèquio mi-
tigantur imperia, non violentia.

Non quidem inficias ivero
sub

sub inquilinorum imperio Res-
publicas non paucas diu flo-
ruisse; tamen neq; negandum
regna florentissima secundo
cursu per multa sæcula ad sum-
mum fastigium consilio & ductu
peregrinorum evecta floruisse,
adhuc etiam inconcussa stare.
Ex omnibus exemplo esse po-
tест Polonia, quæ per libe-
ram Electionem, quam nobi-
les pene innumeri aperto cam-
po sub Jove libero celebrant,
sæpe peregrinos throno suo
impôsuit, per quos terminis
regni multas provincias adje-
cit; eorum ductu manuq; bel-
la memoratu digna confecit, ut
non vano nomine Polonia to-
tius christiani orbis, qua orien-
tem respicit, murus æneus &
antemurale diceretur: idq;

tum præcipuè , cum Sigismundus III. Patre Johanne. Svecorum Vandalorum & Gothorum Rege natus sceptro Polono admotus, qui Muscoviam non ferro magis quam cælo suo ac situ armatam in occupata Metropoli sedeq; Magni Ducis impugnavit ac debellavit, Duce capto, copiis profligatis atq; Smolensco munimento regni fortissimo recuperato: sub Cochimo quadringentis Turcarum, centum & viginti Tartarorum millibus in acie cæsis ex Barbarorum cadaverib; inexpugnabile Sarmatico toti; christianorum orbi vallum contra Ottomanicam impotentiam erexit: quod adhuc mirantur Poloni, nulla unquam hominum ætas filebit.

Quod

Quod verò divina lege cautum fuisse legimus: ne quis peregrinorum genti Judaicæ præficeretur, nos nihil ferit tangitq;: qui sublato à Juda sceptro libertate christiana Dei gratia fruimur. Verum voluntatis divinæ ratio hæc procul dubio fuit, ne stirps Salvatoris cū gentilib; confunderetur, & cultus divinus per confusionem talem naufragium pateretur aut in idolorum cultum degeneraret. Et præter hanc Lex nulla unquam sancita est, quæ alienigenam Dominum prorsus arceat à gubernaculis Rerum publicarum, Verum, temporis ratio & necessitas, quæ omnia experiri cogit, pro lege est: quæ arcendum & adsciscendum definit. Tempora enim

enim iniqua & dura, ut alium de suppetias, sic etiam quandoq; Principem evocant. Et difficile est suffragiis & legibus patriis contra omnia rerum eventa niti. Regnet tunc, quem regnare expedit. Si patriam potentiam superat robur exterum? omnino tunc aliena ferat coronam: ac dum quidam sint omnibus seculis terrisq; invidendi, & talem vel unum facta memorabilia detegant, ac regna certatim ambiant: cur nos eum terris nostris non præoptemus ac velut præripiamus? Non tamen idcirco dedecus inuritur genti eligenti, si exterus in sceptrum ponatur. Non exterus tunc ambitur, sed rarum personæ decus in regale solium refunde-

dendum. Nec aliena terra tunc colitur, sed insolitus Princeps sui sæculi Phœnix: multo minus imperii nota est ab extero regi, qui patriæ ornamento & emolumento est. Absit tamen, ut ego solus civem patriæ imperare nolim, si Comitæ gentis parem huic fastigio in patria inveniant. Dum vero non semper in Illustri Principum & Regum familia eâ copia succrescant; ut continua serie avita regna obtineri possint, ac quasi per manus in seros nepotes transferri, tum in exterum ferri studiis ab usu alienum non esse dixerim. Non turpitudini ductum est Romanis (ut cæteros taceam) ex Hispania, Africa, Arabia, Thracia, Dalmatia, Britannia, Galliaq;

liaque vocare Cæsares, qui Itali-
am ab hostibus indigenis liber-
rarent, & tranquillitati seditio-
nibus sublatis bellisque civilibus
finitis, restituerent. Non hæc
sterilitas est magnarum ani-
marum, sed species generosæ
mentis, quæ summis etiam do-
mi prædita ingeniis, adhuc a-
lii vestigat, si quod nomen o-
ptatius coronet. Horum itaque
defectus si quandoque occurrat,
non ingrati adeò in Illustrem
Peregrinorum sanguinem exi-
stamus; ut hunc eò, cui à na-
tura destinatus est, honore
privemus: quin potius id in-
tendamus, ut eum honore-
mus, propter quem nobis ho-
nor accrescit, cum honor sit
tam honorantis quàm hono-
rati.

Ad-

Adhæc etiam quorundam
indoles est, ut facilius se alie-
nis submittant quàm domesti-
cis, potiorque videatur adoran-
di ratio gentis disparitas dignæ
imperio. Hoc ipsum Sisi-
gambis Matrona ob ætatem
& formæ pulchritudinem ve-
nerabilis propria confessione
de Alexandro asseruit, quæ
Perfidi meliorem ac dignio-
rem Alexandro optare non po-
tuit. Hoc ipsum etiam de A-
siaticis militibus Alexander M.
cultæ admodum oratione con-
fessus est admittæ exterorum
militum concione, & Mace-
donibus ulterius ire renitenti-
bus intra castra prohibitis.
Verba illius elegantissimus &
verax rerum gestarum Ale-
xandri, Scriptor notata reli-
quit:

quit: Cum ex Europa trajicerem in
Asiam, multas nobiles gentes ma-
gnam vim hominum imperio meo
additurum esse sperabam. Nec dece-
ptus sum, quod de his credidi fama
sed ad illa hoc quoque accessit, quod
video fortes viros, erga Reges suorum
pietatis in victa. Luxu omnia stude-
re credideram, & nimia felicitate
mergi in voluptates: at bercule mu-
nia militia hoc animorum corpo-
rumque robore aequè impigrè tolerat.
& cum fortes viri sitis, non fortitudi-
nem magis, quam fidem colitis.
Hoc ego non nunc primum proficor,
sed olim scio. Itaque & delectum
vobis juniorum habui, & vos meo-
rum militum corpori immiscui. E-
dem habitus, eadem arma sunt vo-
bis, obsequium verò & patientia lon-
gè præstantior quam cæteris. Hunc
in modum collaudatis Persis

Alexan-

Alexander dimissis atque abire
missis Macedonibus corporis
sui custodiam credere, eosdem
satellites & apparitores facere
haud dubitavit: quod videret
peregrinos & noviter suæ diti-
oni adjectos modestius, quam
suos Macedones tot bellorum
socios, imperium ferre.

Unum adhuc super est, quod
exteros à sceptro arcere for-
san timidus videri posset. Sci-
licet, immodica præsidii pere-
grini impositio, ejusque magnis
sumptibus conservatio. Ve-
rum illud Principes aliunde e-
vocati vel penitus non alunt
ad evitandam suspicionis cri-
minationem; vel si id fiat, sine
civium onere & periculo mo-
dicis expensis & disciplinæ se-
veritate continent, sublatâ om-
ni

mni domesticorum diffidio-
 rum occasione: Atq; id ipsum
 inquilinis etiam non in s̄vetum
 est, ut externum militem le-
 gant eumq; pro robore exerci-
 tūs habeant. Sic Helvetiorum
 operā frequenter utuntur in
 bello Galli, Hispani, Belgæ &
 Germaniæ Principes, qui ut
 plurimum primum in hostem
 impetum facere, & ultimi ex
 prælio discedere dicuntur, li-
 cet sub alienis signis militent.
 Svasor quoq; erat Dario Cha-
 ridemus (cujus supra mentio
 facta) ut argentum illud atq;
 aurum, quô exercitus Dari-
 cus nitebat, in exteras regio-
 nes mitteretur ad conducen-
 dum militem; quem rectè sva-
 sisse Darius, sed serò, affirma-
 vit. Manet itaq; idem pericu-
 lum

lum ab indigena, quod à pere-
 grino; manet idem commo-
 dum à peregrino, quod ab in-
 digena. Sed non agam pluri-
 bus, cum non ita pro adven-
 titia Majestate decertem, ut
 quandoq; indigenam non præ-
 optem, inq; id, quod pluri-
 bus optimum videtur,
 non condescendam.

DIXI.

ORATIO X.

ILLUSTRIS PERSONÆ,
 Mulicbre imperium ap-
 probantis

habita à

JOHANNE JULIO von Brömsen/
 Nob. Liv.

Maxima omni-
 no felicitatum his in
 terris

terris est à bono regi magistratu dudum professi sunt, quos poenarum gravissima magistratus malus presfit, aut nullus tuitus est. Nam sicuti falus publica bono curæ est; ita per atrocitatem ac negligentiam mali expectatione maturus interit. Navis enim sine Navarcho proxima naufragio in scyllam incidit vel charybdy hauritur. Greges pecorum pastore destituti diu per vastas solitudines saltusque vagati dispersique tandem lupis præda fiunt. Membra corporis humani ægro atque turbato capite, debilitantur, munia detrectant, & pessima aut nulla facinora edunt, dempto capite nihil valent. Eodem modo cætus aliquis hominum dicitur

ce & rectore bono destitutus, vel malo stipatus nullis non periculis exponitur: sæpe non admotâ vi externâ in mutuam perniciem belluarum ritu ruit. E contrario ubi Principes clarissimorum instar siderum inter cives & subditos elucet; ubi Majestas eorum dominatur, & ob potentiam & regendi dexteritatem summâ in veneratione ac honore habetur, securitas & pax individuæ comites habentur. Hinc Regia & Principum dignitas toto orbe terrarum illustris ac conspicua est: ad cuius nomen regna & nationes universæ stupent, ac contremiscunt. Ad horum nutum & arbitrium, omnia quæ mari terraque geruntur se sponte sua componunt,

nunt, & sive pacis sive belli tempora fluant, hoc caput agnoscunt, hanc majestatem venerantur. Et donec cives auspiciis suorum Principum benignè obtemperant, optimam eorum voluntatem pro firma lege habent; salus omnium ac singulorum certò speranda est. Nihil proinde mirum est, quod de industria super constituto Magistrate, gentes non cultæ modo, verum etiam barbaræ deliberarent, cui salutem suam, spem atq; vitam crederent. Hanc ob causam hæc quoq; concio indicta est: in qua de Imperatore futuro variaz sententiæ, varia momenta excussa sunt, mihi non ingrata: unum tamen adhuc mihi dubium relictum invenio: scilicet

licet, an muliebri imperium etiam admittendum, an repudiandum sit? & hoc dissertationis meæ argumentum futurum est. Ut itaq; eadem patientia, quâ comilitonum sententias audivistis, & meam percipere velitis, decenter & humaniter rogamini.

Multi à Sceptris arcendas esse feminas speciosis rationibus asserere haud dubitant, dicentes: Regale sceptrum minimè porrigendum, cui natura colum fufumq; destinavit: cum molle ingenium, natumq; ad blanditias, non ad rerum gubernacula mulier gerat: comere sese melius, quam publicam ornare spartam noverit: sæpeq; malit Rempublicam, quam comam suam turbari.

Quod si Mars classicum conat,
 nihil imbelli hoc in nomine vi-
 rium, nullum bellicæ fortunæ
 omen extare: & regias dotes
 scilicet prudentiam animiq;
 constantiam, mentis imbecil-
 litate ac versabili ingenio la-
 befactari: imò etiam cum Al-
 cedonia sint, continuum cum
 hoc genere bellum gerendum
 fore, quod furor & vindictæ
 cupiditas occupavit: cum vul-
 tus Gratix Orci Evmenides
 aut Medeam celent, atq; inter
 Regnatrices multas rara esse
 felicis regiminis exempla. Ve-
 rùm Ægypti regnum amplis-
 simum sub Cleopatra penè pe-
 riisse, imò ditionis Romanæ fa-
 ctum; Romam Messalinam,
 Galliam Fredegundim, Nea-
 polim Johannem serò exhor-
 ruisse

ruisse, crudelem ac injustam
 fuisse Attaliam. His accede-
 re, quòd Lex Divina subesse,
 non imperare fæminas jubeat:
 & lex naturæ magis ad impe-
 randum aptum, quod mascu-
 linum, quam quod fæmini-
 num est, affirmet; cum viris
 dederit prudentiam, animi
 magnitudinem, robur, vim
 imperandi verò fæminis ade-
 merit, aut saltem languidam,
 imbecillem ac imperfectam
 concesserit. Et quamvis calli-
 ditatem largita iisdem sit, in-
 struxerit earum pectus dolis;
 vim tamen negaverit; ne in-
 expugnabiles essent, frangeret
 vires timor. Deniq; servum
 nimis servitium esse mulieri-
 bus obedire: & ubi hæ impe-
 rant, non modo à libertate, sed
 X₃ etiam

etiam à servitute homines de-
generare. Speciosi⁹ hæc dicun-
tur, quam æquius sequiori se-
xui aditum regni obstruunt.
Nam licet plurimi ob varias
rationes quarum maximam
partem intellexistis, à Regno-
rum gubernaculis fæminas re-
moverint; non desunt tamen
alii autoritate & prudentia ne-
mine inferiores, qui easdem
ad id fortunæ revocant. E-
unt & Augustæ in Principum
seriem, nec consortia tantum
regnorum, sed terrarum ple-
num regimen. Equidem nul-
li præclusa est virtus, sed om-
nes admittit, eaq; nec cen-
sum nec sexum eligit; sed qui-
busdam pro fuso sceptrum inge-
rit, & animi præstantia regnan-
di gloriam parat. Non semper

per masculinam quod gignitur
perfectius eò est, quod fæmini-
num nascitur. Percurramus
ætates mundi omnes, & repe-
riemus, nullum adeò sterile
fuisse sæculum, ut non quas-
dam fæminas ingenio, pru-
dentia, doctrina, animi magni-
tudine & gubernatione Re-
rum publicarum dignas pro-
tulerit: quæ gravissimis & ma-
gni momenti negotiis ab ho-
minibus laudatissimis in con-
siliium adhibitæ fuerunt. Cy-
rus Persarum monarcha pri-
mus idemq; fundator Monar-
chiæ Persicæ consiliis Aspasiæ
sua obtemperans, arduis in
rebus bene & feliciter rem ges-
sisse legitur. Justinianus Im-
perator Romanus auctor Juris
R. Theodoram suam semper

in consilium de rebus difficultibus adhibuit, quod ipse fateatur in Novella Constitut. viii. sic scribens ad Joannem Præfect. Prætor. iterum Exconfulem & Patricium: *Hec omnia apud nos cogitantes, & hic quoque participem consilii sumentes eam quæ à Deo data est nobis reverendissimam conjugem, ut tua celsitudini causam communicantes, & quædam etiam à tuo sumentes, ad hanc sacram venimus legem.* Athenienses veteres non minus ac Lacedæmonii mulieres consiliis publicis adhibere soliti fuerunt, & earundem ex arbitrio decreta non pauca tulerunt. Præterea quot & quàm fortia mulierum acta in sacris & profanis scriptoribus leguntur. Semiramis virum in folio menti-

ta

ta gessit, quæ à viro principe vix speres: nam occiso ipsius jussu Nino Assyriorum Rege, regnoque per tyrannidem occupatò Babylonem urbem amplissimam condidit, vel ad minimum muro stupendo brevi tempore cinxit, oppressit Babylonis, in quos, ne morasceri locum daret, incompta provolavit: Æthiopes armis subegit, universam Asiam perdomuit, duos supra quadraginta annos prudenter (si libidinem excipias) regnavit; unde etiam juxta Legem ab ea latam receptus fuit mos, ut uxores Regum post eorum mortem succederent in imperio & maritis uxores imperarent. De eadem Alexander Heroum pene maximus palam dixit.

X5

Non.

Nondum feminam equavimus gloria. Similiter Zarina Sacarum Regina barbaras gentes quam plurimas subjugum misit, conditis urbibus multis miraculum cunctis extitit. Irene mortuo Leone Imperatore una cum filio Constantino tenero adhuc imperium suscepit, cuius consilio ductuq; domi forisq; pace & otio omnia flourerunt. Venda Craci filia in Polonia: Lybussa Croci Bohemorum Ducis filia; Margaritha Daniae & Norvegiae Regina; Alexandra Judaeorum Regina, & aliae, quas enumeranti mihi exemplorum multitudine subduxit, ita Rempublicam administrarunt, ut viris penè palmam præripere visæ fuerint. Taceo nunc Amazonum
facta

facta bellatoribus strenuis invidenda, quæ documento esse possunt, quantum animi virumq; ad bella mulier quandoq; gerat non armillis sed armis etiam, non vittis sed laureis idonea. Et, constitutionem divinam hac de re, si accuratiori mentis oculo introspeciamus, nusquam illa mulieri omnem dominatum interdicit. Nam cum ea ad imaginem Dei creata sit, ac similis omnino quoad animam marito, hac quoq; imaginis divinae parte, quâ dominatus continetur prædita est. Hinc si viris subesse mulier jubeatur, vel ratione ordinis potius sit, ac jure quodam naturæ, quo imbecilior servit forti: sic filius Parenti subjectus est juræ naturæ; non tamen
X6 exclu-

excluditur filii in patrem imperium, si ejus virtus publici Magistratus honorem meruerit. Sic quoque jura servum subjiciunt hero, qui tamen haud raro servi consilio, si eam prudentia sit, juvatur. Eodem modo comitatur aliquando feminam virtus, quae viris multis defuit. Occultatur saepe sub peplo muliebri tantus animi vigor, quem sub pileo non inveneris: & tunc muliebris dominatus neminem pudere debet. Saepe puduit egregias ac nobiles gentes Sardanapalis servivisse, quos emolliit fortuna, & regia potestas effeminavit: Si potius digna Herois imperet, quis obsequii pudor? Haud interest, quis coronetur, dummodo dignum summo honore

nore coronetur caput. *Emitur enim sola virtute potestas: at haec, ut loquitur Seneca, nulli praclusa est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat ingenuos, libertinos, servos, Reges & exules.* Dum itaque virtus extollit hominem & supra cara mortalibus collocat; nihil obstat, quod minus aliquando imperet, quae triumphat.

DIXI.

ORATIO XI.

quae sub

PERSONA ILLUSTRIS

Procerum consilia constituendi magistratum summum approbavit, summamque rerum uni committendam, neque a posteris avellendam nisi extincta stirpe regia censuit.

X7

ERI:

ERICUS BARTOLDUS GUMMERT
Dorpatens.

Magna voluptate, nec minori admiratione sermones vestros de re tam ardua audivi Commilitones! Nec plus dici attinet de eligendo capite, quod ex omnibus ferendo tanto oneri par liberis suffragiis eligi vultis. Idcirco tale cuius imperium modeste ac libenter laturo estis. Utinam talis ac tantus vir cælitus commodaretur rebus nostris, cui feliciter æternum nobis præesse liceret; verum quoniam nihil in mortalitate est, quod diurnitatem, nedum immortalitatem polliceri sibi possit: ita nec is, qui modo Rex esse incipit, regere nunquam desi-

desinet; sed completa rerum humanarum sorte repetetur ab eo, qui eum largitus est nobis. Cogitandum igitur nunc simul, quomodo tanto Rege ac Præside spoliati imperium conservandum & cuinam tradendum: An Regiam sobolem ad spem tantæ fortunæ, quantam genitor amisit, genitam coronemus; an alium iterum Illustrissimum quemque suffragiis liberis imperio admoveamus? Nam Principiorum ratio maximè habenda, cum ab his rerum omnium successu pendeat. Eaque de consiliorum eventu testentur, quemadmodum veris ineuntis tempestas de subsequente anni felicitate ac fertilitate. Et quamvis feliciter nonnunquam & malè incepta

cepta fluant; tamen cum idipsum rarum & magnæ molis sit corrigere defectus, non tutum est temeritatem aliorum imitari: verum prudentia duce potius consulto incipere omnia. Præprimis autem de superiorum auspiciis probe dispiciendum, ne quorum successu communis hominum felicitas stabilienda, eorum temerario principio in contrarium vertatur. Et cum duæ ad regale solium perveniendi sint viæ Electio nimirum & Successio, hæc optima & tutior adeoq; illi præferenda mihi videtur. Et ne temerè ita sensisse videar, sententiæ meæ rationes, eâ, qua par est, brevitate adjiciam.

Etenim dum suboles regia
sive

sive mas sive scemina, sive Regis frater, sive eidem proximus haud ejusdem merito præteritur, naturæ & communi gentium jure fraudatur. Nam nihil naturæ legibus consentaneum magis esse censetur, quàm regii honoris & ceremoniarum omnium consorti, cui cælo approbante regnū debetur, rerum summam conferre. Idipsum gubernatione œconomica divinitus ordinata innui in comperto est, quâ primum in homines imperium sapientissimum Numen sanxit, hincq; in familiarum successione mariti in uxorem, parentis in liberos imperium continuatur: nec nisi deficiente stirpe ad alienos pervenit. Neq; melior gubernandi Rempubli-
cam

cam ratio excogitari potest, quàm simillima rerum privatarum gubernationi, qua societatum prima ansam dedit publicis societatibus constituendis. Nihil etiam rectæ rationi, Prudentum monitis ac æquitati propius est, quam ab ejus familia continuari regnum, cujus optimè merita de patria benevolentiam & amorem subditorum meruerunt, adeoque ad parendum maximè devinxerunt. Adhæc accedit, quòd Canon Politicorum imperium non nisi gravi necessitate urgente à stirpe Regia dimoveri vetet, hoc forsitan nixus fundamento: dum enim successione reguntur imperia, inoffensa semper durat regni tranquillitas, dum fati functo

Rege

Rege non deest, quem venerantur, cui parent, cujus imperium sequuntur subditi. Ubi verò Electione libera imperium datur, quot, proh Deum! turbæ cientur dissentientibus Procerum votis, populoq; infactiones atq; seditiones proclivi. E quidem nullum profundum mare, nullum vastum ac procellosum fretum tantos ciet fluctus, quantos multitudine motus habet, utiq; si nova & brevi duratura libertate luxuriat. Nec velle, nec nolle cui quidquam potest vulgus, pœnitetq; modo consilii, modo pœnitentiæ ipsius. Nullus etiam interregni tempore justitiæ vigor, nullus pietatis cultus, nulla legum reverentia servatur; sed scelerum libertas

ubiq;

ubiq; grassatur; nihil turpe, nihil iniquum, nihil injustum putatur, quicquid effrenis licentia designat. Quanta mala imperiis amplissimis inter regnum inflixerit, præter Romanum imperium Græcorum exemplo esse potest. Mortuo enim sive veneni haustu, sive febris maligna Alexandro M. cum de successore digno cogitandum esset, & Purpurati in diversas irent partes, aliis in sobolem regiam, quæ nondum nata erat; aliis in Perdiccam, aliis Aridæum Alexandri fratrem studiis in clinantibus; Regis paulò ante ministri specie imperii alieni procurandi ingentia invadebant regna. Milites verò sponte sua capiebant arma, & haut secus in mutu-

am

am, quàm hostium ruebant perniciem: qui Meleagri dictis obtemperabant ad diripendos thesauros ab Alexandro cumulatòs discurrebant, dicente Meleagro Perdiccæ hoste: opum regiarum utiq; populum esse hæredem: cum tamen altera uxorum jam partum enixa esset, altera legitimum paternarum opum hæredem in utero per sex menses gestasset. Diffidentibus itaq; copiarum Præfectis militibusque metus omnia compleverat tam intra quàm extra Babylonis mœnia: rucolas metus populationis villarum vicorumq; in urbem compellebat occupatis ab equite, qui sub Perdicca erat, circa Babylonem campis: oppidani deficien-

cientib⁹ in urbe alimentis (nam frumentum quod in urbem vehendum erat, retinebatur ab equitatu) urbe excedebant, & sic utriq; generi sedes aliena tutior quam sua videbatur. Copiarum Duces atq; satellites, qui vestibulum regiae compleverant, suspecti invicem erant, non adire propius, non colloqui audebant, secretas cogitationes apud se volventes, unicamq; salutis suae spem in alterius morte ponentes, praeparatis ad dimicandum omnium animis, si quis vim inferret. Nec prius hoc malum sopiri poterat, quam discordiae autores, qui Meleagram erumpentem ex concione secuti erant trecenti fere ad supplicia deposcerentur atq; in conspectu totius exer-

xercitus elephantis objicerentur & belluarum pedibus miserimè obtererentur, ipseq; Meleager seditionis caput in templo, ne quidem loci religione defensus occideretur. Et hoc bellorum civilium ac perdendae monarchiae Macedonibus electoribus & omen & principium erat, quod etiam brevi post approbavit eventus. Secus in Regno successivo a hæreditario Rege extincto res geruntur: ubi Princeps, dum in vivis est, sibi & hæredibus fidem à subditis dari jubet; mortuò illo hæres natus major nemine contradicente pro Principe se gerit, ad id fastigium natus atq; educatus. Equidem de industria informantur ac præparantur mentes

tes illorum imperio capeffendo, qui in patria dignitate successuri sunt. Nam si bonus Princeps est, subditorum suorum salutem non committet nisi digno & optimo rectori; si autem malus, idem ut agere sustineat, vel precibus subditorum supplicibus, aut aliorum bonorum exemplo laudabili, vincetur. Imò dum fortuna regnatix in unâ stirpe consenuit, extinctorum veneratio in cunas natorum ad purpuram producitur: nec iis parere dedignamur, quos scimus natos ut inperent. Sic phalanx Macedonum hastis clypeos quatibat, expletura se sanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipsos pertinens regnum: In eâdem domo familia-

miliaq; imperii vires remanueras esse gaudebant milites, dicentes: hæreditarium imperium stirpem Regiam vindicaturam, assvetos se esse nomen ipsum colere venerariq; nec quenquam id capere posse, nisi genitum ut regnaret. Omnino sceptrorum hæredibus grandius quid insinuat natura & Educatio, atq; adeò adultiores cogitare assvescunt altiora, & regno velut suorum nepotum patrimonio cum fide incumbere. Sic Pellæus ille juvenis duodecim annos natus rebus bellicis admodum delectari, & excelsæ indolis manifestissima proferre indicia, cæpit: Legatos à Persarum Rege expeditos absente Philippo & hospitio & consuetudi-

tudine captos jucundissima familiaritate, sibi conjunxit: nihil ab iis humile aut puerile sciscitatus est, sed multa mox super Rege, qualis esset in hostes, mox super Persis, quæ vires, aut quæ potentia, rogavit: & nunciata memorabili prælio Parentis parta victoriâ, unica ipsū sollicitudo occupavit, omnia Genitorem occupaturum, neq̄ occasionem aliquam sibi relicturum ostentâdi grande ullum ac insigne facinus cum æqualibus suis. Ita ad sceptrum natos non illecebrarum aut pecuniæ, sed sola virtutis & gloriæ cupido tenet. Scicis qui suffragiis in hunc rerum humanarum verticem attolluntur, non immemores fortunæ, in quam recidere sui hære-

hæredes possint, sæpe publicorum negligentes, filio vel cognatis eos conciliant, qui Regnum dare solent; aut familiam saltem opibus implent; ne deinde ullus ignoret, fuisse ex eâ, qui regnârit. Sic publicæ opes sæpe privato conduntur ærario, & unius stirpis laribus consulitur, ni venale suffragium in cognatos speretur.

Deniq̄ nescio, quid magis decorum Imperiis, quàm datus à natura Princeps, qui si paribus cum eligendo animi dotibus radiat, frustra est Electio. Is enim ante illam dignior, qui & natalium & dotium illarum luce perfunditur. Nec ut electis quandoq̄ contingit, de priori fortuna cogitur erubescere. Et licet virtutibus

conspicui eligendi sint; non raro tamen corruptis eligentium animis aurô vel spe præmiorum, indigni dignis præferuntur, idemq; periculum Electionem, quod Successionem stirpis Regiæ Illustris manet. Nam non semper optimus ac potior per Comitia generalia venit ad Purpuram. Optimos Electio quandoq; præterit, si suffragiis (ut frequenter fit) privata affectio, vel avaritia moderatur. At naturæ suffragium gratuito offertur, nullo ære emitur, nec ab illo plura Imperia Potentissima in Europæo orbe pœnitent Reges deposcere. Ergo si meo me animo uti patiamini, dicam quod sentio: Imperetis, quem Regia sceptro parit, & antequam

quam eligatur Rex est. Eligamus nunc primum, cujus fama generis Majestati Regiæ non repugnat, eiq; regnum iure hæreditario in posteros transferendum tradamus,
DIXI.

ORATIO XII.

PERSONÆ ILLUSTRIS
Insignia Regia cum Regno
Candidato Regni offerentis.

habita ab

ERICO BARTOLDO GUMMERT
LIVON.

DAnnata tan-

dem Anarchia universale totius concilii decretum in Regium statum studiis inclinavit: Teq; solum ex omnibus

bus Regem salvere iubet. Qui
 haud dubie tantæ spei nun-
 quam imminuisti, nec longa
 cognatione stirpi regiae anne-
 xus es. Attamen quia ingen-
 tem indolis spem ante hanc
 diem privata vita oppressam
 moderata oratione excitasti,
 & virtutibus imperatoriis me-
 reris, ut regni summam ^{ubi}tri-
 neas. Habitus igitur hic, quem
 cernis in meis manibus cum
 privato permutandus erit. Ca-
 pe Regis animum, & in eam
 fortunam, quâ dignus es, istam
 continentiam perfer. Coro-
 nam hanc auream diademare-
 gium imponi capiti tuo patia-
 ris, quam si moderatè tuleris,
 in seros nepotes transferes;
 sin minus in Te ruet. Deinde
 eo quo cingeris ferro, justiti-

am

am tueri, regnum defendere,
 hostes profligare, malos pu-
 nire haud dubitabis. Deinceps
 volumen hoc normam regimi-
 nis tui esse patiâre, quod tuo
 ac omnium consilio compila-
 tum est. Deniq; cum in rega-
 li solio residebis, vitæ necisq;
 omnium civium Dominus,
 cave obliviscaris hujus statûs,
 in quo accipis regnum, imò
 propter quos. Caterum prædò
 me accipe, nos ut liberrimis
 suffragiis Te in scepra posui-
 mus, ita patientiâ debitâ im-
 perium Tuum laturos, corpo-
 ra nostra pro Te opposituros,
 quocumq; jusseris ituros; ad
 ultimum etiam pro fide mori-
 turos. Te verò ut magnæ in-
 dolis specimen dictis factisq;
 edidisti; ita singulari dexteri-

Y 4

tate

tate atq; cura Rempublicam
administraturum persva-
sissimi sumus.

DIXI.

ORATIO XIII.

PRINCIPIS ELECTI AD ELE-
CTORES

imperium acceptantis,

dicta à

JOHANNE OLRAU Dorpatens.

Viri principes at-
que Commilitones cha-
rissimi! Quàm verè Poëta non
finxerit, sed oraculo veritatis
dixerit:

*Accidit in puncto, quod non spe-
ratur in anno,*

in meipso hodie comproba-
tum est. Qui nunquam spera-
vi superos passuros, ut tanta
fortu-

fortuna, tantiq; regni fastigi-
um in istos humeros rueret,
cui ferendo vix sufficiunt. Et
somnia similis res mihi vide-
retur, mihiq; protervè illudi
crederem, nisi insignia regia
mihi injecta cernerem, & fi-
des mihi à jurantibus vobis se-
riò facta esset. Attamen si a-
nimo me meo uti pateremini;
reddere hoc imperium malim
quàm exercere: rogaremq;
ut potioem eligeretis: & si
quis se digniorem profiteatur,
hoc diadema accipiat.

At dum totum principum
virorum Concilium studiis in
me unum inclinare video, ne-
minemq; humilitatem meam
criminari; decreto vestro uni-
versali non suffragari non pos-
sum. Sit itaq; jacta alea: sit

Y 5

huc

hic honos mihi onus! Dummodo quâ patientiâ domesticas curas tuli, eodem animo regnum pati possim. Ingens onus impositum est capiti meo: & metus est, si secus, quàm par est, id tulerò, ne me obruat. Sed spem concepi magnam, vos ipsum una mecum laturus. Nec spes fallit, dum mihi à consiliis & lateribus sponte vestrâ futuros persuasimus sum. Ast quòd horum nihil, quod ad me attinet, omisurus sum, gratiamq; jurando non fanciam, colendo fidem jurabo. Græcantium enim cautio est acta consignare: Ego religionem in ipsâ fide novi. Interea animitus voveo, ut ejusdem favore, cujus instinctu regnum hoc fundatum ad summum

num brevi fastigium evertum in perpetuum floreat, & nulli sub toto cælo felicitate cedat.

DIXI.

ORATIO XIV.

quâ

Epilogus CHRISTIANUS

SINGELMAN, Dorpat.

Expositis Actûs habitus causis cum appreciatione felicitatis omnigenæ ac gratiarum actione Auditorium missum fecit.

Mirabimini for-

san A. O. O. H. nos de Scholæ pulvere ac pulpito Reges & Principes huc in theatrum adduxisse, quasi hujus loci non sit circa summa capita

rerumq; fastigia occupari. Si de nostro foro, de literarum principiis, scientiarum artiumq; studio & virtutum cultu verba fecissemus; majorem forsitan apud Vos gratiam meruissemus, pluresq; auditores angustiores hanc palæstram Oratoriam fecissent, quorum loca hodie frigere non desivēre. Et quamvis Vos ut spectatissima præsentia, ita singulari audiendi orationes nostras patientiâ conatum nostrum qualemcunq; approbare videamini; non deerunt tamen alii, quorum præsentiam curæ publicæ vel privatæ nostris parietibus subdixerunt; qui temeritatis nos accusabunt, quod summos illos apices tetigerimus: cum periculosum sit in
 Rei-

Reipublicæ arcana se dimittere, & de iis in hoc Minervæ liberè differere, quæ minimè ad hanc ferulam faciunt, sed ad altiora potius pulpita & rostra pertinent: ubi Politicam hanc incudem versant homines eruditione & sapientiâ longè celeberrimi, adeoq; verendum esse, ne dum citra canonem artis nostræ ac muneris in alienam messem falcem injecerimus, meritò simus reprehendendi, atq; in gravem Aristarchi cujusdam censuram incurfuri. Melius igitur forsitan fuisset à tam difficili & ardua pertractanda materia linguam & calamum abstinuisse, si regendi modos modestè contemplatos periculum & pœna manet. Verùm non vereor nos

gravi supplicio mactandos, quòd de alieno negotio verba fecerimus. Ita enim locuti sumus, ut omnibus loqui fas est: illa diximus, quæ omnibus audire fas est: ita ratiocinati sumus, ut omnibus sanis ratiocinari licet. Et egregiam rem nos cogitasse egisseq; quilibet ultrò fatebitur, dum rationes, quæ nos ad audendum compulerunt, audiet vel leget.

Non quidem me fugit summam in terris majestatem à magnitudine appellationem trahentem tantam esse, ut non tantum homines minorum gentium rudisq; vulgi, sed etiam autoritate ac prudentia præ aliis conspicui primo intuitu ejus splendore ac præcellentiâ quasi percellantur, &

silen-

silentio potius quam oratione eam venerentur. Sed nec hoc ignoro: illos, qui axioma imperii fundarunt, mirâ linguæ libertate fretos liberè disseruisse; nihil à quo periculum aut damnum qualecunq; extitutum celasse: eamq; prudentiam cujus ductu, & quâ aspirante tota imperii moles sustentata, recta, & conservata, non innatam nec in momento mentibus infusam; sed à teneris per omnem ætatem frequenter exercendo, sermocinando & ratiocinando comparatam fuisse: nec tamen ideò quenquam criminis Læsæ Majestatis pænas dedisse legimus: quin potius semper eos, qui à consiliis Principum fuerunt, in summo honore habitos, ad

supre-

supremum amicitiae gradum
admissos & praemiis maximis
oneratos. Unde Gvevara in
Epistola quadam honorificam
deviris eruditione & pruden-
tia claris mentionem facit,
hunc in modum scribens: *Prin-*
ceps corpus est mysticum in Republi-
ca ad corporis vivi veriq; modum.
Caput omnium Princeps, quem pe-
nes imperii summa. Oculi viri Re-
publ. boni. Aures subditi, qui im-
perata faciunt. Lingua Eruditi
virii. Capilli illi, qui injuriis affecti,
Regis implorant opem. Brachia mi-
lites in hostem. Pedes agricule, qui
victum subministrant. Ossa viri
sapientes, qui Rempublicam admi-
nistrant. Corda familiares intimi.
collum amor Regis & Regni. Hem-
tam honorifica munia viri eru-
diti ac Prudentes in hoc cor-
pore

pore mystico obeunt; Lingvæ
membrò præstantissimo, ac
ossibus corporis robori assimi-
lantur, quibus tenus corpus
mutum redditur, & cohærere
ac subsistere neutiquam potest.
Sed quanto labore, quanto o-
leo opus est, donec eruditionis
& prudentiæ solidæ thesaurus
acquiratur. Non sufficit
una dies, unus mensis, unus
annus, imò vix tota vita, quæ
brevis admodum in compara-
tione artis: quæ insuper innu-
meris curis, periculis, morbis,
difficultatibus, impedimentis-
que obnoxia minimam sui par-
tem excolendæ menti fænera-
tur; adeò ut plurimis in ipsis
principiis, multis in secundis
hærere, paucis ad perfectio-
nem qualemcunq; pervenire

con-

contingat. Quid igitur vetat
quã minus nos, qui si non ad
Reipublicæ spem adolescimus,
tamen in ea vitam trahere (si
fata volunt) speramus juven-
tutem illum ætatis florem mis-
sis nucibus atq; illecebris ar-
duis rebus dicamus, falcem in
messam nostram aliquando fu-
turam maturè mittamus, in
Reipublicæ arcana introspeci-
amus, atq; de summis rerum
capitibus si non loquamur, ta-
men balbutiamus, modò te-
meritas lingvæ, quæ gravius
omni probro quondam puni-
ta est, absit. Abest autem:
nam non animi prava cõtētior-
ne provecti malignius sermonē
habuimus Majestatis supremæ
laudes obtrituri: non graves
eorum auribus fuimus, qui sen-

sentiunt à nobis vera memora-
ri: nunquam non æquo animo
confessi sum⁹ salutem nostram
nos debere Regi nostro Poten-
tissimo. Nihil ex omnibus in-
consultè ac temere egimus,
quæ stomachum alicui move-
re possent. Nemini maligni-
tate & invidia gloriam ademi-
mus aut memorabile aliquid
nostri operis fuisse jactavimus.
Nemini novos regendi modos
præscripsimus, sed præscri-
ptos olim debita modestia me-
moravimus: Scapham dixi-
mus scapham. Nec tamen
ea propter juxta illud; *Veritas o-*
dium parit, invidiam nobis con-
traxisse ac in pœnam incurris-
se potuimus. Equidem non
vivimus sub climate inclemen-
ti atq; zona torrida, cujus ter-

ræ torva & truculenta gignere
solent ingenia: ubi terrorem
illum terrarum longè lateq;
diffitarum, postquam divinos
honores affectaret, & contem-
pto mortali fastigio Jovis fili-
us credi vellet, nemo pingere
nisi Appelles, nemo ære scul-
pere nisi Lysippus, ausus fuit;
sed degimus sub zona tempe-
rata, ubi mitior cæli haustus
mitiora etiam ingenia format.
Vivimus inquam in ejusmodi
orbe, qui mores à barbaris
multum abhorrentes alit: ubi
Rex noster Potentissimus ac
Dominus Clementissimus CA-
ROLUS XI. (cui Deus mul-
tos annos addere velit) Amor
& delictum generis humani
verius quàm T. Flavius Ve-
spasianus dici meritis, omni-
bus

bus ac singulis se videndi, allo-
quendiq; haud invitus copiam
facit. Qui non modo in con-
spectum suorum quotidie pro-
greditur; verum etiam Astreæ
templa frequenter visitando,
patientiam Principibus plurimis
insolitâ Senatorum consilia &
judicum sententias inaudit;
supplices afflictorum preces
suis auribus percipit, libellos
sua manu excipit, & infantes
à judicio liberat, ac justitiam
æquitate temperatam sanctè
administrat, administrariq; ju-
bet. Adhæc Seminaria lite-
rarum atq; scientiarum non ve-
tera tantum liberalissimè alit,
verum nova quoq; haud pau-
ca aperiri jubet, ut in illis ex
disciplina Prudentum atq; E-
ruditorum virorum juvenes
ad

ad Reipublicæ spem informen-
tur: qui emeritis ad consilia
ferenda olim succedere pos-
sint. Atq; dum nos quoq; in-
com parabili hoc Patris Patriæ
nostræ beneficio freti, ejusdem
voluntatē obienter ac decenter
sequimur, ac in Philosophia A-
ctiva nos informari à teneris
patimur, nullum dubium est,
quin rem egregiam egisse cen-
seamur, à gravi cujuscunq; A-
ristarchi censura liberandi.

Nec metus est, à Politicis
nobis litem motum iri: quie-
am obrem, quoniam studio-
rum ab aliis exemplar sicuti
nos in se transfundi passi sunt,
non sine rubore audire debe-
rent sapientis Catonis effatum.

*Turpe est Doctori dum culpa redar-
guit ipsum.*

Pro-

Proprio certè se jugularent
gladio condemnati juxta ICTo-
rum Legem: *Quod quis in ali-
um statuit, in se statuisse videtur.*
Nam procul omni dubio Phi-
losofiam civilem non viri per
modum habitus infusi acce-
perunt, verum in ætate juve-
nili huic studio dicatâ crebris
meditationibus, lectionibus at-
que exercitiis familiarem sibi
reddiderunt, excusatione fan-
nè digni: cum civilem hanc
scientiam ad cætera studia o-
mnia utilem esse, rectè cense-
rent. Equidem utilis est Gram-
matico ad explicandos ac in-
telligendos Poëtas, historicos,
oratoresq; qui referti sunt mul-
tis ad vitam civilem pertinen-
tibus. Prodest oratori in Le-
gationibus, curia, foro argu-
mem-

mentum civile tractaturo. Utilis est Historico; nam Historia est Philosophia πολιτικὴ per exēpla. Conducit juris prudentiæ, quæ pars est civilis facultatis. Nec minus utilis est Theologo ad intelligendam melius *πολιτικὴν* Mosaicam, & quæ de Regum multorum institutis in sacro Codice memorantur. At ultimum utilis etiam est iis qui castra sequuntur. Nam multi militiæ ante rudes cum omnium admiratione literarum beneficio brevi spacio res maximas gesserunt. Hujus rei exemplum fuit Lucius Sylla Dictator perpetuus, de quo Salustius Bello Jugurthino civili apud Rom. primo sic scribit: *Sylla gentis patriciæ nobilis fuit, familiâ præ-*
pe ex-

pe extincta majorem ignavia, literis Græcis atq; Latinis juxta, ac doctissime eruditus, postquam in Africam, atq; in castra Marii cum equitatu venit, rudis antea & ignarus belli, solertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est. Aliud exemplum fuit L. Lucullus, cujus mentionem Cicero Lib. iv. Acad. Quæstionum facit, ita scribens: Magnam ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, & digna homine nobili ab eo percepta doctrina: ad Mithridaticum bellum missus à senatu, non modo opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. Idq; eo mirabilius fuit, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi operâ, quæstura diuturnum
Z tempus,

tempus, Murenâ bello in Ponto gerente, in Asia pace consumserat, sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaq; cum totum iter & navigationem consumsisset, partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis: in Asiam factus imperator venit, cum esset Româ profectus rei militaris rudis. Tantius ergo imperator in omni genere belli fuit præliis, oppugnationibus, pugnis, totiusq; belli instrumentis & apparatu, ut ille Rex post Alexandrum maximus hunc à se majorem duces cognitum, quàm quemquam eorum, quos legisset fateretur. Pari modo Xenophon è Socratis schola ad Cyrû profectus decem hominum millia ab extremis Persarum finibus per hostiles terras domum reduxit,

&

& ita reduxit, ut quicquid se opponeret, devinceret ac deturbaret. Itaq; dum nos quotquot hic cernitis in studio, ad Facultatem, quæ cuiq; cordi est, curamus, operæ pretium esse ducimus adminiculum istud, Philosophiam civilem intelligo, quo cursus studiorum in quocunq; genere admodum urgeri potest, non negligere, sed ambabus amplecti manibus. Præsertim cum inter cæteros talis auctor nobis ad manus sit in succum & sanguinem vertendus, qui hoc studio tenus intelligi haud quaquam potest; auctor, inquam, elegantissimus Q. Curtius non tantum argutiis & exornationibus styli, verum etiam prudentiâ Politica affluens, ut ei-

Z 2

dem

dem Ericius Puteanus in Præfatione ad Eundem insignem laudis hederā appendere haud dubitaverit, hunc in modum scribens: *Ille verò mihi historicus est, docendo prudens, narrando elegans, & ut omnia dicam, Alexandro dignus, auctorem scriptor equalis, alius vincere orbem terrarum non potuit, nec alius ingenii præstantia tantæ gloriæ suffecit. Omnia in Alexandro magna sunt & nomen sequuntur; omnia in Curtio mira sunt, & placent omnia. Ille virtute & fortuna cinctus gloriam sequitur, hic sævada & prudentia stipatus eandem ducit. Iterum vincit orbem Alexander; scribitur, sed à Curtio, qui ut optimo atq; eruditissimo ævo vixit, aut certe illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo affectus est. Idem porro per-*

git

git citato loco laudare auctorem nostrum his verbis literarum cupidos in amorem Curtii invitando: *Ad historiam ite: Curtium admittite, ut omnia habeatis. Hic ille, Auditores, ingenium cujusq; acuet; subtilissimus scriptor est; judicium roborabit, prudentissimus est: linguam expoliet; facundissimus est. Etenim quæ verborum sententiarumq; solertia inventioni suffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat & eloquentia proponit. Quia igitur argutum esse, disertum esse, omnis doctrinæ summa est, quid adjicere ingenio, judicio, linguæ oporteat, Curtius imprimis docet. Et longè plura adhuc Elogia prostant, quæ urgentia orbis literati lumina Gvil. Budæus, Barnabas Briffonius, Petrus Bizarus, Justus Lipsius &*

Z 3

alii

alii scriptori laudato posuere.
 At hæc memorari hic non at-
 tinet, cum in comperto sit, e-
 um tria numina in pulcher-
 rimo historiæ opere coluisse:
 Svadam, Prudentiam & Veri-
 tatem: quæ nobis causa fuere
 cum cæteris, quod eum depe-
 rierimus, & ex eò Actus habi-
 ti argumentum Politicum de-
 promere voluerimus, per quod
 auctorem ipsum, & per aucto-
 rem argumentum intelligere
 animus, fuit. Non enim faci-
 lius ac felicius nos ejusdem
 Svadam, Prudentiã atq; verita-
 tem consequi posse perivassimi
 sumus, quam si ipsius purã la-
 tinitate res alienas exprima-
 mus, lecta ex eo atq; audita vi-
 vâ voce proferamus, Sint
 ergo Momi, sint zoili? nobis
 sus-

suffecerit, ex hoc exercitio
 commoda multa percipisse, &
 Vobis A. O. O. H. ac saniori-
 bus omnibus placuisse. Ut i-
 taq; eo favore, quem vultu be-
 nevolo hodie prodidistis, hanc
 scholasticæ Juventutis coro-
 nam semper prosequi velitis
 obnixè oramus, appenso voto;
 ut incolumes, felices ac bene-
 voli Exercitiis nostris publicis
 sæpe interesse possitis, majori à
 nobis cum animi oblectatione
 & decenti gratiarum a-
 ctione dimittendi.

DIXI.

INDEX ORATIONUM

in hoc Libello contentarum.

- I. Eubaristica Munificentiae Gustaviano-Carolina. p. 2.
 II. Saluatoria pro accessu ad Rectorem ratum p. 39.

ACTUS. I. Oratorii

- I. Saluatoria ad Auditorium. p. 85.
 II. Oblatoria Pacis p. 95.
 III. Oblatoria Pacis. p. 103.
 IV. Invitatoria ad Concilium p. 110.
 V. Svasoria Pacis p. 112.
 VI. Svasoria Belli p. 119.
 VII. Denunciatoria Belli p. 127.
 VIII. Gratiarum actoria ad auditores. p. 136.

ACTUS II. Orator.

- I. Saluatoria ad auditorium p. 158.
 II. Nunciatoria appropinquantis hostis p. 174.
 III. Invitatoria ad Concilium Bellicum p. 168.
 IV. Sva-

- IV. Svasoria furti sive doli p. 169.
 V. Svasoria stratagematum p. 176.
 VI. Svasoria aperti praelii p. 183.
 VII. Expetitoria consilii ad belli Duces p. 190.
 VIII. Svasoria pro aperta pugna p. 192.
 IX. Svasoria pro Receptu castrorum p. 196.
 X. Svasoria pro pangendis Inducis p. 202.
 XI. Dissvasoria Induciarum p. 207.
 XII. Decisiva super Pace sequestra p. 213.
 XIII. Gratiarum actoria ad auditores p. 320.

ACTUS III. Orator.

- I. Gratulatoria de novo Anno. p. 242.
 II. Constitutoria Fori p. 252.
 III. Accusatoria contra Perduellionis suspectum p. 259.
 IV. Denunciatoria Arestis p. 277.
 V. Ex-

- V. Exhibitoria Testimonii contra
accusatum p. 279.
- VI. Confirmatoria indicii prio-
ris p. 23.
- VII. Defensoria accusati p. 285.
- VIII. Expetitoria suffragiorum a
Commissariis p. 311.
- IX. Commissarius primus ex L. ju-
liapanam inferri iubet p. 305.
- X. Commissarius 2duo9. reum mul-
tandum esse censet. p. 315.
- XI. Definitiva Sententia p. 322.
- XII. Exprobratoria ad Reum Per-
duellionis p. 323.
- XIII. Publicatio sententiae p. 328.
- XIV. Excusatoria Exsecutoris ad
reum. p. 330.
- XV. Gratiarum - actoria ad
auditorium. p. 333.
- Actus IV. Orator.
- I. Salutatoria ad auditores p. 360.
- II. Commendatoria Magistratus p. 373.
- III. Suae

- III. Svasoria pro Monarchia p. 387
- IV. Svasoria pro Aristocratia p. 402.
- V. Svasoria pro Democratia p. 415.
- VI. Pro Electione per suffragia aut
sortem p. 428.
- VII. Dissvasoria Electionis per sor-
titionem p. 439.
- VIII. Svasoria pro indigena eli-
gendo p. 447.
- IX. Pro Peregrinis p. 461.
- X. pro muliebri imperio p. 479.
- XI. pro Successione p. 493.
- XII. Oblatoria insignium regio-
rum p. 509.
- XIII. Acceptoria insignium regio-
rum p. 512.
- XIV. Valdictoria ad audito-
rium. p. 515.

ERRATA.

Errata typograph.

p. 2. probate lege probata. p. 6. entum l.
centum. p. 12. anagrammal. anagramma. p.
24. hac l. hac. p. 33. Programmata l. pro-
gramma. p. 37. hancl. hac. p. 52. verbero-
num l. Verber. p. 57. clementel. Clemente. p.
60. ab l. ob. p. 66. ignarum l. ignaram. p.
67. usum l. suum. p. 69. sudore l. sudorem. p.
77. fodiatu l. fodatur. p. 86. deleatur si p.
124. fortuna l. fortuna. p. 134. habitatum
habituru p. 187. superu l. supra p. 191. centu-
riatum l. tim. p. 216. logam l. long. p.
225. angustia l. angust. p. 240. qua l. que
p. 255. degeneret l. degeneret p. 276. Illine
l. illine p. 279. carere l. parere. p. 280. hostes l. ho-
sto ibid. oppugnare l. vi. p. 287. proditus l. pradi-
tus. p. 288. Vestrol. Vestras. p. 292. inflix. l. in-
fix. p. 308. ferendam l. ferend. p. 315. con-
set l. cen. p. 329. Vialatol. Viola. p. 342. obsequio l.
obsequio. p. 368. aliorum l. aliarum p. 370.
quantus l. tos. p. 398. deserri l. desferri. ib.
industria l. industria. ibid. possim l. passim
416. regia l. gia. p. 435. post infatiam, ad-
de, Roma p. 469. omittatur po. p. 484. con-
nat l. canas. p. 491. iura l. iure p. 498.
qual. qua p. 499. oppressit l.
oppressis.

